extenderat, ex quo eandem recognovit, atque abſque difficultate tamquam ſuum inſtrumentum reaſſumpſit, itaut haberetur, ac ſi penes eundem continuaſſet, præſertim dum interim fuerat penes eum, cujus fide per teſtatorem probata fuerat; Si enim, etiam in caſu exemplificato per Bart. ex dicta ratione, in ſchedulæ recognitione ſufficiunt adminicula, quamvis remaneret in terminis ſcripturæ privatæ, multò magis in præſenti quo redacta erat ad ſcripturam publicam, atque Notarius, cujus principaliter intererat ut proprium inſtrumentum ab altero non falſificaretur, illam recognovit tanquam propriam.

Clarius verò ex triplici circumſtantia verè omnem difficultatem dirimente; Una ſcilicet reſultante à diſpoſitionis rationabilitate, ac bono ordine, itaut intraret veriſimili-
4 tudo, quæ in his materiis maximum eſt, ac primarium ſinceritatis adminiculum, ut è converſo inveriſimilitudo magnam præbet falſitatis ſuſpicionem; Altera, dum Alexander teſtatoris frater in teſtamento ſcriptus hæres, cujus intererat ut potiùs infirmato teſtamento, ſuccederet ab inteſtato, ut ita liberam hæreditatem obtineret, atque à ſubſtitutionum vinculis, aliiſque legatis, ac oneribus exemptus eſſet, illud non impugnavit, ſed approbavit, cùm veritatis conſcius præſumeretur, eodemque jure continuavit Franciſcus filius.

Et quando iſtius morte ſequuta, ſuper hoc fideicommiſſo habita fuit prima diſputatio de dicto anno 1635. & ſic de tempore magis proximo, dum recentior erat memoria, haberique poterant perſonæ informatæ, id non fuit oppoſitum, unde propterea omnino improbabilis remanebat hujuſmodi oppoſitio ex ſola defenſorum ſubtilitate reſultans poſt diuturnam teſtamenti prædicti obſervantiam per ſpatium annorum 75. & in qua obſervantia, ut dictum eſt, magnifaciendum venit tempus proximum, quando facti recens eſt memoria, præſertim perſonarum veriſimiliter de illo certam informationem habentium; Et tertiam quod tam de tempore confectionis, quàm aperturæ, nullus aderat intereſſatus, qui hujuſmodi machinationem, ac falſitatem fabricare potuiſſet, dum vocati, vel erant abſentes, vel conſtituti in articulo mortis ſequutæ die ſequenti poſt illam teſtatoris, vel reſpectivè infantes.

In pleriſque aliis forenſibus controverſiis, ſatis frequenter eandem materiam validitatis hujuſmodi teſtamentorum diſputavi, in quibus omnibus eædem fuerunt oppoſitiones, eædemque reſponſiones, præſertim verò *in una Ceſenaten. Teſtamenti* pro Maria Altina de Santolinis, cum Nicolao, & aliis de Altinis ab inteſtato venientibus, ac impugnantibus teſtamentum in hac forma nuncupativa nuncupatione implicita in forma publici Inſtrumenti conditum per Jo: Baptiſtam Altinum minorum, qui inſtituit d. Mariam amitam uxorem Santolini ejus curatoris; Unde propterea ex duobus, venientes ab inteſtato hujuſmodi teſtamentum impugnabant; Primò ſc. quia confectum per minorem ad favorem curatoris; Et ſecundò ob non probatam omninò certam identitatem ſchedulæ, excluſivam poſſibilis falſitatis, ac ſuppoſitionis juxta rigoroſum ſenſum Cyriaci, & Grat. & alior. de quibus ſuprà.

Primum objectum de facili tollebatur, quia non eramus in caſu diſpoſitionis ad favorem ipſius curatoris, ſed Mariæ amitæ, quæ licèt eſſe uxor curatoris, itaut ſuſpicari poſſet,
5 ut id geſtum eſſet in fraudem; Nihilominus dicebam hujuſmodi difficultatem forſan cadere poſſe, quando hæc mulier eſſet teſtatori omninò extranea, itaut erga eam nulla ratio perſonalis affectionis concurreret; Secus autem dum erat amita, & forſan, circumſcripta diſpoſitione ſtatutaria, attentaque illa juris communis, legitima hæres ab inteſtato; Potiſſimè quia ceſſantibus doli, & machinationis urgentibus indiciis, neque ipſiuſmet curatoris de jure prohibita eſt inſtitutio, ex eis, quæ habentur infra in Rom. hæreditatis *diſc. 50.*

Quo verò ad aliud objectum, illud ſolutum fuit cum eiſdem authoritatibus, & fundamentis, de quibus ſuprà, & *in d. diſc. 2.* ſuper fide ſcilicet adhibenda Notario, non elidibili per ſolam poſſibilitatem, minuſque per aliquas ſuſpiciones, quæ in contrarium ponderabantur ut potè leves, & hominis, cùm ad hunc effectum eſſe debeant urgentes, & legis, ut *dec. 581. n. 39. & ſeq. p. 4. rec. tom. 3.* & ſæpius in *præc. ſeqq.* Potiſſimè dum in facto, majora, & efficaciora concurrebant ſinceritatis indicia dictas ſuſpiciones omninò ſuffocantia.

Illud autem aliquam inferebat difficultatem, quod in ro-
6 gitu Notarii diceretur teſtamentum eſſe per teſtatorem ſcriptum, & ſubſcriptum, cujus contrarium veritas oſtendebat, quod ſcilicet ſola ſubſcriptio teſtatoris concurreret, ſcriptura verò eſſet aliena manu, ſed ob publicam fidem Notarii, cùm adeſſet ſubſcriptio, per iſtam dici poterat dictam aſſertivam verificari, quoniam ſcriptura per aliquem ſubſcripta, habetur ac ſi ab eo ſcripta eſſet, dum à nobis fieri dicuntur, quæ ab alio de noſtro mandato fiunt, atque per noſtram ſubſcriptionem approbantur, ut in his ſpecialibus terminis habetur *dec. 263. p. 4. rec. tom. 2. n. 10. & ſeq. & dec. 581. n. 14. & ſequent. eadem p. 4. tom. 4.*

Et in una Ugentina pro Capitulo Terræ Speculæ coram Prælato Judice commiſſario, ſubſtinui conſimile teſtamen- 7
tum juxta eamdem formam confectum à quadam muliere ad favorem dicti capituli; Cùm enim eædem oppoſitiones deducerentur pro parte venientium ab inteſtato, facilius ſublatæ fuerunt, ſtante favore piæ cauſæ duplicem operationem in propoſito faciente, unam ſcilicet ceſſantis ſuſpicionis falſitatis, dum non agebatur de alicujus privato intereſſe, ſine quo non de facili præſumenda eſt hujuſmodi delicti perpetratio; Et alteram, quia pia cauſa non ſubjacet ſolemnitatibus, & rigoribus juris poſitivi ad tex. *in c. relatum, de teſtam.* ut hoc titulo ſæpiùs.

Inſiſtebant ſatis oppoſitores in eo, quod ſequutus eſſet teſtatricis obitus eadem die, qua apparebat teſtamenti conſi- 8
gnationem factam eſſe; Verùm erat leve objectum, cùm unica die etiam decem teſtamenta fieri poſſint; Et tamen Rota coram Penia *dec. 478. juxta Venetam aliàs 607. juxta Lugdunenſem* ſubſtinuit teſtamentum conditum eadem die, qua teſtator diluculò deceſſerat, ſtante poſſibilitate, quod à media nocte uſque ad crepuſculum id commodè ſequi poſſet.

Major diſputatio fuit ſuper oppoſitione, quæ fiebat per venientes ab inteſtato, circa defectum aperturæ, & publicationis, eis prætendentibus id fieri non poſſe, niſi coram Judice, 9
citatis legitimis ſucceſſoribus ab inteſtato, ex deductis *deciſ. 553. n. 6. & 7. p. 4. rec. tom. 3.* Sed pariter facilis fuit objecti ſolutio, quoniam examen teſtium, ac citatio venientium ab inteſtato, & alia requiſita deſiderata per DD. *in l. 2. ff. quemadmodum teſtamenta aperiantur, & in leg. publicatis ſecunda C. de teſtam.* procedunt, quando agitur de teſtamento ordinato per viam privatam, ſecus autem ubi cum interventu Notarii deſuper publicum Inſtrumentum conficientis, tunc enim ſcriptura dicitur de per ſe publica, ideòque abſque Judicis authoritate aliiſque ſolemnitatibus, per ipſum Notarium, adhibitis in iſto actu novis teſtibus, tamquam per novum inſtrumentum ſuper recognitionis, & aperturæ actu factum, ad publicationem proceditur, ut notant iidem DD. *loc. cit.* præſertim Caſtr. *n. 4.* bene Jaſ. *conſ. 67. n. 2. l. 3.* Rovit. alios colligens *dec. 95. nu. 15.* atque ita paſſim ſervat praxis, licèt frequentius id per Notarium fieri ſoleat, cum præſentia, & authoritate Judicis abſque tamen citatione venientium ab inteſtato, quoniam defertur publicæ fidei Notarii, quam tam ex, quàm ipſe teſtator probarunt.

ROMANA TESTAMENTI, SEU LEGATI PRO ALEXANDRO BANCO, CUM JACOBO SALVUCCIO.

Caſus deciſus per Rotam pro Jacobo.

De eadem materia teſtamenti nuncupativi nuncupatione implicita, invalidi ob ceſſantem certitudinem ſchedulæ.

SUMMARIUM.

1 *Quod non ſit ſuperfluum, ſed congruat de eadem materia pluries agere, & de ratione.*
2 *Facti ſeries.*
3 *Reſolutione cauſæ.*
4 *De materia* l. hæc ædictali *remiſſivè.*
5 *Quale fuerit reſolutionum fundamentum.*
6 *Quod quandoque in deciſionibus non deducantur vera fundamenta reſolutionum, ſed alia.*
7 *Expenduntur authoritates, quæ ſtant pro annullatione teſtamenti.*
8 *Quando & quomodo conſulendum deferendum ſit.*
9 *Et quomodo ponderari debeant doctrinæ.*
10 *Datur ſimile de teſtibus.*
11 *De applicatione ad caſum.*
12 *Falſitates, & machinationes, non fiunt ſine magna utilitate.*
13 *Quod in materia non detur tuta veritas.*

14 *De defectu ſolemnitatum, an attendatur in hac forma teſtandi.*

DISC. V.

1 DE ſuperfluitatis vitio, non immeritò, redarguendæ ſunt in aliis materiis, repetitiones illarum controverſiarum, quæ dependent ab eiſdem articulis, de quibus alterius conſimilis cauſæ occaſione jam actum ſit; Unde propterea cernimus, quod adeò frequenter, ac penè quotidianæ, cenſuum, cambiorum, uſurarum, alienationum, & contractuum, emptionis, & venditionis, dotis ac ſimiles controverſiæ, intra mediocrem adnotationum numerum reſtringuntur, cùm ſub una, penè centum ſimiles contineri videantur.

Non ſic eſt in iſta teſtamentorum, ac etiam fideicommiſſorum, aliarumque ultimarum voluntatum materia; Cùm etenim juris quæſtiones, quæ apud antiquiores erant nimium involutæ, hodie omnes jam ſopitæ ſint, ſtatuendo pro regula, id quod una magis recepta opinio teneat, pro limitatione autem capiendo diverſam diſponentis voluntatem, ex præſumptionibus, aliiſque facti circumſtantiis metiendam, hinc frequenter cernimus ut in eiſdem ſimillimis, penèque individuis caſibus, cum juſtitiæ fundamento, diverſæ prodeant determinationes, atque eædem conjecturæ, vel circumſtantiæ in uno caſu operativæ ſunt, in altero non autem, eædem, ac majores eundem effectum non operantur; Hinc propterea expedit plures habere præ oculis tractatas quæſtiones penè identificas, ac ſub eiſdem juris articulis, vel concluſionibus cadentes, quarum exitus diverſam ſortiatur fortunam, ut ita edoceamur totum pendere ex facti qualitate, totamque vim eſſe in applicando congruè activa paſſivis, ideòque manifeſtum eſſe pragmaticorum errorem, cum ſolis concluſionibus, (& pejus) cum deciſionantium, vel conſulentium ſpecialibus authoritatibus procedere, eaſque de uno caſu loquentes, cuicumque alteri applicare, non benè combinando, unius, ac alterius caſus circumſtantias, diverſamque facti qualitatem.

Volens igitur Caſſandra binuba graviter infirma teſtari, præſente uno ex fori Capitolini judicibus ejus benevolo,
2 Notarius ſchedulam teſtamentariam ipſa teſtatrice dictante, conſcripſit, deindeque juxtà pluries enunciatam formam teſtandi nuncupatione implicita, dictam ſchedulam clauſam, & ſigillatam eidem Notario coram teſtibus in forma conſueta tradidit; Cùmque ſequutis teſtatricis obitu, ac teſtamenti apertura, compertum eſſe, quod Jacobus unicus ex primo viro filius ſcriptus hæres pluribus ſubſtitutionibus, ac legatis oneratus eſſet, præſertim verò legato ſcutorum mille ad favorem Alexandri ſecundi viri, qui etiam lucrum ſtatutarium petebat.

Hinc ſuper utroque orta lite coram A.C. deindeque in Rota, quoad lucrum pro viro reſponſum fuit, ut habetur
3 *ſub tit. de dote, diſc.* 131. Quo verò ad legatum, pro hærede, illum abſolvendo ex capite invaliditatis teſtamenti, ut patet ex deciſionibus editis cor. Cerro ſub diebus 14. Maji 1666. & 28. Martii 1667. quibus Alexander acquievit, lucri cauſam proſequendo, cum ſubſequuto effectu.

Hujuſmodi autem acquieſcentiam Ego pro Alexandro ſcribens, conſului, ob ſatis modicum effectum ex lite reſultantem; Cùm enim ad terminos textus *in l. hac Ædictali, C.*
4 *de 2. nupt.* filio prioris matrimonii præcipua debita eſſet legitima, atque in eo quod ſupererat, non poſſet conditio ſecundi viri eſſe melior, quàm ejuſdem filii, penes quem bona remanentia ob ſubſtitutionum onera minoris remanebant æſtimationis, hinc proinde detracto lucro, ferè in nihilo, vel ſatis modica ſumma remanebat legatum experibile, quamvis teſtamenti validitas admitteretur, ut *dicto diſc. 131. de dote,* ideòque non expediebat litem proſequi, cùm potius id ſubſtitutorum intereſſet.

Fundamentum autem annullationis teſtamenti potiſſimum fuit Notarii mendacium, de quo à teſtibus convince-
5 batur, quod ſcilicet in rogitu diceretur (juxtà conſuetum formularium) quod teſtatrix habens in manibus ſchedulam, illam ſibi conſignaverit, cujus contrarium convincebant teſtes deponentes, quod ſchedula repoſita erat ſuper quadam tabula, ex qua Notarius accepit, ita ponderando quod applicarentur firmata *in dec.* 143. Afflict. *& in conſil.* 19. Pariſ. *lib.* 3. & per Spad. *conſil. 90. & 92. lib.* 1.

Aliquod etiam fundamentum conſtituendo in quibuſdam extrajudicialibus informationibus, ſuper aſperitatibus, ac malis tractamentis viri, quodque propterea voluntas teſtatricis non fuiſſet libera.

Atque his pro ornatu deciſionum, adduntur ea quæ circa defectum ſolemnitatum, præſertim ſubſcriptionis teſtatricis, quæ ſcribere ſciebat, ac circa omiſſam nominationem heredis, & ſimilia ponderantur apud allegatos, & alios de quibus in deciſionibus.

Cùm igitur, (ut dictum eſt,) hujuſmodi quæſtiones ſint potius facti, quàm juris, ex facti qualitate, ac circumſtantiis 6
prudenti arbitrio decidendæ, non de facili certum judicium ſuper reſolutionum improbabilitate efformari poteſt, quoniam ut advertitur per Rovitum *dec. 49. n. 13.* ſæpè à magnis præſertim Tribunalibus prodeunt reſolutiones ex motivis, quæ ipſiſmet partibus victricibus, earumque Advocatis ignota ſunt, præſertim in his materiis; Illud tamen diſplicere conſuevit, quod quandoque ad ſatisfaciendum ſtylo edendi deciſiones ſuper quacumque reſolutione, occultatis, (ut docet) motivis prudentialibus, quæ juſtam reſolutionem reddunt, pro deciſionis ornatu canonizantur concluſiones, vel authoritates minùs veræ, quod incredibile eſt, quàm malas conſequentias producat, ob ineptiam eorum, qui authoritates, ac deciſiones ad litteram attendunt, non reflectendo, an aliquid dicatur incidenter, & ex abundanti.

Quia verò teſtamentorum impugnatores, ut plurimum ſolent totum deſumere ex dictis auctoritatibus Afflict. *de-* 7
ciſ. 143. (quæ apud rigoroſos teſtamentorum cenſores eſt magiſtralis, (& Pariſ. *dicto conſil. 19. libr.* 3. ut patet ex Gratian. *diſceptat.* 973. Cyriac. *controverſ.* 444. Spad. *dicto conſil. 90. & 92. lib.* 1. Altograd. junior. *controverſ.* 50. Hinc proinde iſtius præſertim cauſæ occaſione ad tollenda æquivoca circa applicationem *dictæ deciſion.* Afflict. ponderabam quod in ejus caſu plures concurrebant circumſtantiæ teſtamenti invaliditatem ſuadentes; Primò ſcilicet, quia ibi agebatur de teſtamento condito in ſcriptis juxta ſolemnem, & rigoroſam formam text. *in leg. hac conſultiſſima, Cod. de teſtament.* Secundò de teſtatore graviter infirmo, de quo ſatis poterat ſuſpicari, quod non eſſet in recto ſenſu; Tertiò de teſtamento facto ad ſolam interrogationem Notarii, qui quaſdam chartas ab ejus pectore extraxerat cum ſola reſponſione teſtatoris per verbum *Meſſer sì*; Quartò fortiter, de teſtamento indiſcretè ac irrationabiliter ordinato, dum inſtituta fuerat hæres univerſalis uxor juvenis, ſpretis fratribus benemeritis, unde propterea ducitur argumentum à judicio Senatus Romani relato per Valerium Maximum, regulandi teſtamentum à rationabili, vel irrationabili ordinatione; Quintò, quia teſtamentum continebat quædam verba indiſcreta prorsùs incongrua qualitati teſtatoris viri prudentiſſimi, dictæque ac aliæ circumſtantiæ in eadem deciſione ponderatæ non ſingulariter, ſed inſimul unitæ magnam redolere videbantur ſuſpicionem.

Et quoad *conſil.* 19. Pariſii *lib.* 3. (Ultra quod eſt authoritas conſulentis non ad veritatem, ſed ad pecuniam, multas non veras concluſiones aſſumendo;) Præcipuum ejus fundamentum eſt in eo, quod teſtator voluerat teſtari ſolemniter juxta formam *l. hac conſultiſſima,* ut in principio; Non obſtante quod in rogitu diceretur, ut valeret etiam tanquam nuncupativum, quoniam ſupponit quod illa verba, nec prolata, nec dictata eſſent à teſtatore volente teſtari in ſcriptis, ſed appoſita per Notarium de ejus capite, ut *num.* 20. quod quiſque videt, quàm ſit fallax ac futile fundamentum; Verùm quidquid ſit, non poterat hic defectus applicari ad hanc facti ſpeciem, in qua nedum per Notarii rogitum, ſed per Judicis, & teſtium depoſitionem conſtabat teſtatricem habuiſſe in animo teſtandi nuncupativè etiam nuncupatione explicita.

Ponderat quoque *numer.* 7. quod ſchedula nullo juris ordine ſervato aperta, & publicata eſſet, quod pariter in preſenti dici non poterat, dum ad inſtantiam ejuſdem oppoſitoris ſervatis ſervandis apertura, & publicatio ſequuta erat; Atque *num.* 5. & 26. ſatis ponderat quod ſchedula non eſſet conſulta, benèque clauſa, & ſigillata, adeo ut facillimum eſſet ſchedulam exiſtentem in charta involvente extrahere, ac alteram ſupponere; Ac *num.* 29. deducit circumſtantiam ſatis conſiderabilem, quod ſchedula teſtamentaria non fuerat tradita cuſtodienda penes Notarium de cujus fide lex (non conſtito de infidelitate) magnam habet fiduciam, ſed remanſerat in domo teſtatoris, in qua teſtamentaria, ejuſque vir morabantur, ideòque ſtante dicta mala clauſura de facili ſuppoſitionem facere potuerant, unde propterea caſus ſimbolizare videtur cum eo, quem referunt Burgos de Pax, & Rovit. *dec.* 95. Ea etiam conſideratione accedente, quod illicò poſt obitum teſtatoris ſcriptus hæres, antequam teſtamentum publicaretur, ſe talem dixit;

Æt ſic omnes circumſtantiæ prædictæ inſimul unitæ, aliquam ſuſpicionem inferebant, præſertim quia agebatur de univerſa hæreditate.

Prout in caſu Spadæ *dicto conſ.* 90. (cum cujus authoritate nimiùm proceſſum eſt in cauſa,) multæ concurrebant circumſtantiæ, quæ inſimul unitæ magnam producebant ſuſpicionem; Primò quia teſtatrix ob apoplexiam effecta erat ſtolida, & ſine memoria; Secundò quia ſchedula teſtamentaria ſupponitur per biennium ante rogitum confecta; Tertiò quia teſtamentum juxta caſum Afflict. conditum erat ad ſolam Notarii interrogationem per ſimplicem affirmativam prolatam cum verbo, *sì;* Quartò quia Notarius ex ſe acceperat ſchedulam ex quadam tabula, unde facillimum Conſulens præſupponit ſuppoſitionem; Et quintò fortiter, ob inveriſimilem, ac non benè ordinatam diſpoſitionem ad favorem cujuſdam extranei de univerſa hæreditate, ſpretis conjunctis, & amicis; Ponderata etiam nimis arcta amicitia inter Notarium, & hæredem ſcriptum; Et his annectitur ejuſdem Notarii mendacium in rogitu, quod teſtatrix propria manu ſibi teſtamentum conſignaverit.

Et tamen adhuc de iſta authoritate, prout de aliis Cyriac. Grat. & Altogr. & ſimilibus, dici poteſt idem, quod de illa Pariſi inſinuatum eſt, quod ſcilicet ſint Conſulentium ad
8 pecuniam, ſeu cauſæ opportunitatem, unde opus eſſet videre deciſionem, ut advertit Franch. *dec.* 260. *n.* 5. *&* 6. & Rot. in Lauden. Cenſus 21. Junii 1666. coram Taja.

Id enim in his terminis rectè comprobatur ex eo, quod idem Spada *d. conſ.* 92. tanquam Advocatus Fiſci, adeò claram oſtendere conatur illius teſtamenti falſitatem, quod non ſolùm reſultaret nullitas, ſed etiam punitio Notarii, ac hæredis; Et tamen illud individuum teſtamentum (oppoſitionibus in eo Conſilio contentis non obſtantibus) canonizatum fuit tanquam validum per Rot. *dec.* 263. *&* 581. *par.* 4. *rec. tom.* 2. *&* 3. unde liquet quantum Conſulentium authoritati deferendum ſit.

Et quando etiam Conſulentibus deferendum videatur,
9 adhuc ponderare oportet caſum, de quo ipſi reſpectivè agunt, cum omnibus, & ſingulis circumſtantiis, deindeque facere combinationem cum illo, de quo eſt controverſia, quoniam ſæpiùs contingit, ut una circumſtantia quamvis de per ſe leviſſima, ſit validè conſiderabilis, ob aliarum concurſum; Ideòque non ex eo, quod in uno caſu ob concurſum aliarum ea canonizata ſit, ſequitur, ut deſervire debeat pro lege univerſali in omnibus, ut in propoſito conjecturarum habetur ſæpiùs *ſub tit. de fideic.* ac etiam alibi ad hanc materiam, atque in hoc verſatur totum malum Juriſtarum, ut etiam ſupra initio advertitur.

Et habemus in teſtibus, quod mendacium, ſeu variatio in accidentalibus, & levibus non habetur in conſideratio-
10 ne, & tamen ſi aliæ ſuſpiciones in teſte concurrunt, etiam hæc levia, & accidentia habentur in conſideratione Farin. *de teſtib. qu.* 66. *n.* 25. Capyc. Latr. *conſult.* 4. ſic à pari dicendum eſt de Doctoribus.

Applicando igitur ad hanc facti ſpeciem; Teſtatrix non erat moribunda, ſed in recto ſenſu ſupervivens per octo
11 dies; Actus geſtus fuit publicè, & palam coram Judice probato viro, ac præſentibus ipſomet filio adulto, ac etiam fratre teſtatricis, quæ volebat publicè ſchedulam teſtamentariam legi, niſi frater aliàs ſuaſiſſet; Nulla in Notario urgebat ſuſpicio; Et (quod magis) diſpoſitio erat prudentiſſimè, benèque ordinata, inſtituendo filium, quem in aſſe ſcutorum circiter 10. mil. indiſcretum non fuit gravare legato ſcutorum mille ad favorem viri, cum ſubſtitutione eventuali ſcutorum 4. mille in caſu obitus abſque filiis ad favorem Eccleſiæ.

Hujuſmodi enim ſuppoſitiones, ac falſitates ſequi non poſſunt abſque magna machinatione, & corruptione, Ju-
12 dicis, Notarii, ac teſtium, iſtique actus geri non ſolent abſque magna utilitate, ut advertitur *in Avenionen. dec.* 39. *& in aliis hoc eod. tit.* Ideòque non videtur, à quo hæc machinatio fieri potuerit, vel debuerit, quoniam ſi vir id in animo habuiſſet, curaſſet (excepta legitima) de univerſo aſſe diſponi ad favorem ſui, vel ob obſtaculum *l. hac edictali, C. de ſecundis nupt.* ad favorem confidentiarii.

Et quidem hodie cauſarum eventus apti ſunt in quocumque ſapiente, amentiam cauſare, ob tot varietates, quæ in
13 pluribus antecedentibus, & ſequentibus caſibus cernuntur, idcirco dicat qui poteſt qualis ſit determinata veritas, de qua hodie in jure reſponderi valeat.

Motivabant aliqui ex Dominis, quod difficultas non eſſet in ſuſpicione falſitatis, & ſuppoſitionis, ſed in defectu ſolemnitatum, ob non conſignationem factam manu pro-
pria teſtatricis, ſeu ob non ſubſcriptionem, vel non factam 14
expreſſionem hæredis; Verùm hæc erant levia fundamenta, quoniam ut in præcedentibus habetur, paſſim iſtæ ſolemnitates requiſitæ, vel in teſtamentis ſolemnibus ad formam *l. hac conſultiſſima*, vel in teſtamentis nuncupativis nuncupatione explicita, non deſiderantur in his nuncupativis nuncupatione implicita, in quibus potiùs error eſt hujuſmodi ſolemnitates adhibere, ut advertitur in Romana hæreditatis 19. Novembris 1635. & 7. Aprilis 1636. Coccino *impreſſ. dec.* 359. *&* 362. *p.* 12. *rec. ac etiam d. dec.* 263. *&* 581. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *&* 3. in Senogallien. ſucceſſionis 27. Januarii 1652. Corrado *dec.* 215. *p.* 11. *& ſupra diſc.* 2.

Dum enim Bart. originarius author hujus formulæ teſtandi, exemplificat caſum in teſtamento condito per relationem ad ſchedulam abſentem exiſtentem penès Guardianum Sancti Franciſci, non videtur in qua juris ratione unquam dici valeat, ut dicta forma conſignationis propria manu deſideranda ſit pro ſolemnitate, cùm ſolùm circumſtantia an habeat Notarius à teſtatrice, vel capiat à ſeipſo, ponderari poſſet pro ſuſpicione poſſibilis ſuppoſitionis unius ſchedulæ loco alterius.

Et nihilominus, quando difficultas reſideret in defectu ſolemnitatum, id fuiſſet conſiderabile, quando ageretur de integra hæreditate jure directo, ſecus autem dum de ſolo legato, quod in vim clauſulæ codicillaris deberi poteſt etiam ab inteſtato, Franch. *dec.* 1. *n.* 4. *& ſeq.* & conſequenter intellectus his reſolutionibus non acquieſcebat.

ROMANA HÆREDITATIS DE CEVIS, PRO PP. SANCTI DOMINICI, CUM ABBATE CEVA.

Caſus diſputatus in Congregationibus particularibus, & concordatus.

De teſtamentis Cardinalium per ſolam ſchedulam privatam in vim indulti, abſque ſolemnitatibus juris poſitivi, quando valeant, & quid requiratur ad eorum perfectionem, & validitatem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *An in teſtamentis Cardinalium perneceſſe requirantur duo teſtes pro affirmativa.*
3 *De negativa, quæ reputatur verior.*
4 *De rationibus, quibus hæc ſecunda opinio innitatur.*
5 *Ad quid proſint teſtes, vel adminicula.*
6 *Recognitio ſchedulæ teſtamentariæ, an ſaltim de Curiæ ſtylo ſufficiat per teſtes habentes notam manum, plenè examinatur articulus cum diſtinctione caſuum.*
7 *Attento etiam ſtylo Curiæ dicta ſola probatio non ſufficit.*
8 *De differentia inter recognitionem per comparationem, & per teſtes habentes notam manum.*
9 *De conjecturis, vel adminiculis ſcripturæ falſitatem arguentibus.*
10 *Quomodo conjecturæ, & adminicula ponderari debeant.*
11 *De differentia inter teſtamenta inter liberos, & ad pias cauſas, & alia.*
12 *Solemnitates à jure civili introductæ in teſtamentis, quomodo ſint conſiderabiles etiam in illis teſtamentis, in quibus illæ remiſſæ ſunt.*
13 *De differentiæ ratione inter* c. relatum, & c. cum eſſet, de teſtam.
14 *Quantitas bonorum auget ſuſpicionem falſitatis.*
15 *An & quando reo incumbat onus probandi concludenter ſuam exceptionem.*
16 *In ſpecie, quando venientibus ab inteſtato incumbat onus probandi teſtamenti falſitatem, vel è contra.*
17 *Non ſufficit veritas, ſeu perfecta recognitio ſchedulæ, niſi conſtet de determinata voluntate teſtandi.*

D I S C. VI.

CUm defuncto Cardinali Ceva, inter quaſdam ſcripturas reperta eſſet ſchedula in dimidiato folio continens octo verſiculos, in quibus, nulla facta pia diſpoſitione, nullaque plurium nepotum ex ſororibus, vel amicorum, & familiarium, facta mentione hæres liberè ſcriptus reperiebatur Abbas Ceva, qui per partes ſupponebatur remotus tranſverſalis; Hinc orta lite inter ipſum, ac veniens ab inteſtato, poſtquam ab iſtorum aliquibus, imprudenter aliquæ

quæ minùs laudabiles vitæ tentæ ſunt; Aſſumpta diſputatione civili in particulari Congreg. per Papam deputata, prodiit ſententia favorabilis venientibus ab inteſtato, inter quos aderat Religioſus profeſſus in ordine Predicatorum, pro quibus Ego ſcribebam; Commiſſaque cauſa appellationis alteri Congreg. pariter deputatæ, concordia controverſiæ finem dedit.

Tres inſpectiones in hujuſmodi cauſæ diſputatione habitę ſunt, prima ſcilicet an in teſtamentis Cardinalium vigore conſueti indulti Apoſtolici, ſufficiat ſola ſchedula privata, ejuſque Cardinalis manu ſubſcripta, vel conſcripta, ſine aliquo teſtium interventu, vel ſaltim etiam duo teſtes requirantur; Altera, poſito quòd ſola ſchedula ſufficeret, quomodo illa recognoſcenda ſit, atque de ejus identitate conſtare debeat; Et tertia, poſito quòd ſit benè recognita, itaut non dubitetur eam eſſe per indultarium ſcriptam, & ſubſcriptam, an ad validum, ac perfectum teſtamentum, illa ſufficiat, quæ ſimpliciter reperta ſit in arca, vel in ſcrinio, ſeu inter ſcripturas teſtatoris, vel potiùs extrinſecæ probationes requirantur, determinatæ voluntatis, quodque ea redacta eſſet ad actum teſtandi.

2 Quoad primam, cæteri pro venientibus ab inteſtato Scribentes (totam vim juxta modernum uſum conſtituentes in authoritatibus) fundamentum principale faciebant in authoritate Salyc. *in l. ſi quando, n.* 4. *C. de inoff. teſt.* ubi excitata quæſtione, an per Papæ privilegium, remiſſa cenſeatur ſolemnitas juris civilis tantùm, vel etiam illa juris canonici, de qua *in c. cum eſſes, & cap. relatum, de teſtam.* conſideratis hinc inde rationibus, concludit, remiſſam etiam cenſeri ſolemnitatem juris canonici, ſed quod duo teſtes ad minus requiruntur ad probationem, non autem ad veritatem; Et ex qua Salyceti authoritate, idem in terminis individualibus teſtamenti Cardinalium firmat Barbatia *in tract. de præſtantia Card. q.* 4. *n.* 9. *inter tract. magn. tom.* 13. *p.* 2. *fol.* 77. ubi concludit, quòd ſolemnitatem juris canonici ſervare tenentur, quod etiam habetur apud Andr. *controv.* 309. *n.* 14.

E converſo ſcribentes pro teſtamentario, ſe fundabant in eodem Salyceto dicente, utriuſque juris ſolemnitatem re-
3 miſſam cenſeri, ſolamque probationem naturalem ſufficere, & licèt ipſe eam exemplificet in duobus teſtibus, nihilominùs id procedit, quando ſchedula non adeſt, ſed ad teſtes probatio reſtringitur; Poſito etenim principio, quod omnis ſolemnitas remiſſa ſit, ſolaque probatio naturalis requiratur, tunc quælibet probandi ſpecies admittenda eſt, unde propterea, in actibus inter vivos, ſchedula propria manu conſcripta, & recognita producit eamdem probationem, quam duo teſtes, & è contra.

Et in terminis ſpecialibus teſtamentorum inter liberos, vel ad pias cauſas, in quibus omnis ſolemnitas juris poſitivi remiſſa eſt, ſolaque naturalis probatio ſufficit, quamvis in jure exemplificetur probatio per duos teſtes, receptum tamen eſt, etiam ſchedulam propria manu ſcriptam, vel ſubſcriptam, tanquam æquipollentem probationem in utroque teſtamento ſufficere, ex deduct. apud Buratt. *dec.* 375. & habetur infrà in materia teſtamentorum ad pias cauſas, *diſc.* 14. Et in eiſdem in terminis ſpecialibus teſtamenti Cardinalium per ſolam ſchedulam privatam, adducebant authoritatem Rotæ, *dec.* 713. *p.* 1. *& dec.* 411. *p.* 4. *rec.* ubi de teſtamento Cardinalis Ruſticuccii; Et *dec.* 131. *poſt* 1. *vol. conſ.* Farin. ubi de teſtamento Card. Cuſani, ſuper quo habetur altera deciſio non impreſſa Mediolan. 4. Februarii 1600. cor. Juſto; Atque ſuper his authoritatibus, hincinde inſiſtebatur.

Mihi ad veritatem reflectenti, placebat hæc ſecunda opinio (cui verè Salyceti authoritas aſſiſtit) dum ſpecies probationis per duos teſtes, demonſtrativè potius, quàm taxativè ſtare videtur; Et fortiùs attenta ratione; Cùm enim de jure non dubitetur, ut Princeps remittere poſſit quamcumque juris poſitivi ſolemnitatem, hinc proinde, iſta ſublata, atque remanente ſolo jure naturali, hinc prohibet quin per unam, vel alteram ſpeciem hæc probatio fieri poſſit; Potiſſimè quia in pleriſque indultis exprimi ſolet, *ut ſola ſchedula ſufficiat, etiamſi nullo teſte munita ſit.*

Quamvis enim, Scribentes pro venientibus ab inteſtato, in diverſa formula in iſto controverſo indulto non contenta, magnum conſtituerent fundamentum ratione diſcretivæ, quod ſcilicet ubi Papa voluit dixit, &c. Attamen mihi id non placebat, quoniam hæc potiùs videtur expreſſio ejus, quod de jure ineſt; Si enim quæcumque juris poſitivi ſolemnitas remiſſa eſt, atque res redacta ad terminos probationis naturalis, ergo ſufficit ut iſta in una, vel altera ſpecie
4 habeatur; Teſtes autem, ſeu alia adminicula cum ſchedula rectè deſiderantur, non pro ſolemnitate, vel forma, ſed pro majori certitudine, ſeu concludenti probatione veritatis ſcripturæ, ſeu determinatæ voluntatis, quodque illa ſchedula redacta eſſet ad actum teſtandi, juxta ſecundam, & tertiam inſpectionem, de quibus infrà.

De deciſionibus autem Rotæ pro teſtamentario ut ſupra deductis, obſervabam nullam rationem in propoſito habendam videri, cùm in duabus primis agentibus de teſtamento Cardinalis Ruſticuccii, diſputatum non eſſet de hoc puncto, ſed habita ſchedula pro certa, & indubitata, ſola quæſtio erat ſuper quadam interlineatione, an ademptionem cauſaret; Aliæ autem duæ deciſiones in Mediolan. agentes de teſtamento Cardinalis Cuſani, neque punctum præciſum percutiunt, dum in eo caſu agebatur de teſtamento ad pias cauſas ad favorem magni Hoſpitalis Mediolani condito, ſuper quo etiam ſcripſerunt Bimius *conſ.* 204. *lib.* 3. atque ad aliud propoſitione Jacob. Gall. *conſ.* 60.

Atque ultra piæ cauſæ favorem, illius ſchedulæ veritas comprobata remanebat ex atteſtatione ſcriptoris, qui fuerat Cardinalis teſtatoris à ſecretis; Ideòque loquendo pragmaticè, potius deciſiones prædictæ poterant retorqueri, ſed ratio eſt, quæ ſtringit ut ſupra; Unde quamvis in cauſæ defenſione alii pro hac parte ſcribentes, majus, ac ferè totum fundamentum in hoc motivo conſtituerent, mea tamen ſemper fuit opinio, ut parùm in eo inſiſtendum eſſet, utpotè minùs tuta, quamvis ex infrà deducendis in ſequentibus inſpectionibus, probabiles crederem partes venientium ab inteſtato.

Quo verò ad ſecundam inſpectionem, ſuper perfecta ſcilicet probatione naturali reſultante à ſufficienti recognitio- 6
ne hujuſmodi ſchedulæ, adeo ut certi redderemur, quod à teſtatore conſcripta eſſet, non autem, ejus caractere imitato, ſuppoſita; Alia probatio pro teſtamentario non habebatur niſi illa per teſtes habentes notam manum teſtatoris, inter quos in ſecunda inſtantia plures viri qualificati inducti fuerunt; Atque pro eodem teſtamentario Scribentes inſiſtebant, quòd hujuſmodi ſpecies probationis, ſaltem de Curiæ ſtylo ſufficeret, ex deciſionibus, & authoritatibus inferiùs allegandis, cum aliis cumulatis præſertim per Altograd. jun. *contr.* 15. *cum ſeq.* qui erat unus ex ſcribentibus pro teſtamentario.

Super hoc autem ſcribens Ego pro venientibus ab inteſtato obſervabam procedi cum aliquo æquivoco, pro quo tollendo, ac declarandis authoritatibus, quæ indigeſtè hincinde deducebantur, advertendum eſſe dicebam, duas hujuſmodi ſchedularum ſpecies haberi, quarum una eſt habens in genere certum primordium veritatis, altera verò non.

Prima ſpecies conſiſtit in illa ſchedula, ad quam penes tertium, vel in certo loco exiſtentem, teſtator relativè ordinet teſtamentum, quod vocamus nuncupativum, nuncupatione implicita, juxta teſtandi formulam originatam ex traditione Bart. *in l. ſi ita ſcripſero, ff. de condit. & demonſtr.* (ut propriè teſtatus fuit in Conclavi Card. Carafa, de cujus teſtamento habetur *diſc.* 1.) & tunc ſchedula dicitur habere certum primordium veritatis, quoniam conſtat de certa voluntate teſtatoris, quòd teſtari voluerit, quòdque adſit ſchedula penes tertium, vel in deſignato loco exiſtens, unde propterea ſola quæſtio cadit ſuper recognitione individui, an ſcilicet ea, quæ à tertio exhibetur, vel in loco deſignato reperta eſt, ſit eadem, de qua teſtator eſt loquutus; Iſtoque caſu, quiſdquid teneant Pariſ. Cyriac. Gratian. & cęteri nimis rigoroſi cenſores, de quibus *diſc. præc.* probabilius eſt, hujuſmodi identitatis probationem, vel per teſtes habentes notam manum, vel per comparationem, aliaſque adminiculativæ probationis ſpecies ſequi poſſe, cùm Bart. iſtius formulæ auctor adminiculis contentari videatur, dum ita habetur certum primordium veritatis, ex iis, quæ habentur ſupra *diſc.* 2. & in aliis; Et in his terminis procedunt pleræque authoritates, quæ tamen ad propoſitam facti ſpeciem malè applicabantur, dum hoc certum veritatis primordium non aderat.

Altera ſchedulæ ſpecies eſt illa, de qua in præſenti, quia nempe teſtatore defuncto, in ejus ſcrinio, vel alio loco reperiatur ſchedula teſtamentaria, quæ prætendatur ab ipſo teſtatore conſcripta, vel ſubſcripta, nullo tamen concurrente certo primordio veritatis, ut in præcedenti; Et tunc inſpecta juris communis diſpoſitione certum eſt, ut recognitio per teſtes habentes notam manum, vel per comparationem, utpotè fallaciſſima, & incerta, in adeò ſuſpecta materia non ſufficiat, ex iis, quæ plenè deducuntur per Cyriac. *controv.* 444. cujus dicta, difficultatem patiuntur in præcedenti ſpecie, quando ſcilicet certum habetur veritatis primordium, omninò tamen ſolida, ac vera ſunt in hac ſecunda ſpecie; Ac etiam in eiſdem terminis teſtamentorum firmant congeſti

ſti per Rub. *de teſtam. ad pias cauſas, cap. 28. n. 350. cum ſeq.* Et generaliter etiam in actibus inter vivos, Scacc. *de judiciis, part. 2. cap. 11. num. 966. cum ſeq. & num. 1134. cum ſeq.* Gait. *de credito, par. 2. cap. 8. n. 2746.* Menoch. *de arbitrar. caſ. 114.* & tanquam abſolutum admittitur in proximè allegandis deciſionibus, quæ de ſtylo Curiæ tantùm admittunt, ut etiam in teſtamentis, hujuſmodi ſpecies probationis per teſtes habentes notam manum intret; Idque verum, quamvis probatio eſſet ſincera, & contradicta, quia nempè teſtibus ita deponentibus nil in contrarium obſtaret, quoniam adhuc eorum ſola depoſitio ad concludentem, ac perfectam probationem non ſufficeret.

Non negabant Scribentes pro teſtamentario, attenta nuda juris diſpoſitione, præmiſſæ concluſionis veritatem; Eam tamen limitari dicebant ex recepto Curiæ ſtylo, qui originaliter inductus in apocis, vel epiſtolis familiaribus, aliiſque ſcripturis privatis, etiam ad hujuſmodi ſchedulas teſtamentarias extenſus fuit, ut in ſpecie de iſtis liquet ex *deciſ.* Putei 18. *de fide inſtrumentorum, dec. 553. part. 1. & dec. 124. part. 2. diverſ.* Cavaler. *dec. 553. num. 2.* Buratt. *deciſ. 475. n. 5. cum ſeq. dec. 166. num. 29. part. 8. & dec. 289. num. 11. par. 10. rec.* & in aliis, quæ frequenter habentur in terminis teſtamentorum ad pias cauſas, in quibus, vel inter liberos, præmiſſæ deciſiones loquuntur.

Verùm dicto ſtylo etiam admiſſo, (cum ſenſu etiam ve-
7 ritatis,) putabam applicationem ad hanc facti ſpeciem omninò deficere, quoniam etiam in ſenſu dictarum deciſionum, hæc ſola probatio non ſufficit, niſi etiam concurrant adminicula, quamvis ageretur de piis diſpoſitionibus, ut liquet *dicta dec. 553. part. 1. diverſ. num. 1. dec. 124. num. 3. part. 2.* Cavaler. *dicta dec. 553. num. 3.* Buratt. *dict. dec. 475. num. 7. dicta dec. 166. part. 8.* cum aliis per Rub. *dicto capit. 385. cum ſeq. & num. 411. cum ſeqq.* Quod etiam in ſpecie teſtamenti Cardinalium benè probari videtur per allegatas deciſiones editas in dict. Mediolan. quoniam licèt ageretur de diſpoſitione ad pias cauſas, atque ſchedula ſincerè per teſtes habentes notam manum, abſque contradictione, recognita eſſet; Attamen potiſſimum fundamentum pro teſtamenti validitate conſtitutum fuit in atteſtatione Cardinalis Platti, qui voluntatis teſtatoris conſcius, ſchedulam viderat penès eumdem, ac etiam in depoſitione Secretarii, qui eam de ordine teſtatoris conſcripſerat.

Si ergo talis ſpecies probationis quamvis ſincera, nullam habens contrariam probationem, vel contrarium adminiculum, in propoſito non ſufficit, niſi alia veritatis adminicula concurrant, multò minùs ſufficere poterat in hac facti ſpecie, in qua non agebatur de pia diſpoſitione, ſed prophana, multaque concurrebant in contrarium urgentia inveriſimilitudinis inditia, de quibus infrà, potiſſimùm verò, quia urgebat in contrarium probatio per comparationem ex judicio aliquorum peritorum, qui facta comparatione cum ſcripturis teſtatoris indubitatè veris, dicebant hanc eſſe potiùs imitatam, quàm veram.

In concurſu autem hujuſmodi probationum, per comparationem ſcilicet, & per teſtes habentes notam manum,
8 quamvis utraque fallax, ac periculoſa ſit, unde meritò ſola, & de per ſe aliunde non benè adminiculata non ſufficit; Illa tamen per comparationem eſt magis legalis, ac efficacior reputatur; Tum quia lex eam cognovit, non autem cognovit alteram, ut liquet *ex leg. comparationes, Cod. de fid. inſtrument. & Auth. at ſi contractus, Cod. eod.* ubi Scribentes, de quibus Cyriac. *d. contr. 444.* Scaccia, Menoch. & Gait. *ubi ſupra,* Farinac. *in fragment. verbo comparatio, n. 495. cum ſeqq.* Et in terminis recognoſcendi ſchedulam teſtamentariam, Alexan. *conſ. 114. lib. 7.* Tum etiam quia illa legaliter, & naturaliter eſt magis certa, ſeu minùs fallax, cùm aliquando reputetur tantæ potentiæ, quòd apta ſit ad convincendos de falſo teſtes deponentes vidiſſe ſcribere, ut apud Farinacium, & alios *loco cit.* Igitur, vel iſta probatio quæ in contrarium urgebat, debebat alteram ſuffocare, Vel data etiam earum æqualitate, indubitanter id ſufficere debebat, ut una alteram deſtruente, ſeu debilitante, nulla earum dici poſſet valida, & concludens.

Et ulteriùs, non ſolùm ſcriptura prædicta efficacibus adminiculis munita non erat, ſed plura in pondere, & numero nimis urgentia concurrebant per Scribentes in facto ponderata, atque ex proceſſu deſumpta, præſertim verò præ cæteris efficacia videbantur ea quæ deducebantur; Primò ex
9 nimia brevitate ſcripturæ, ex qua falſitatis, & imitationis adminiculum reſultat, cùm nimiùm prolixa ſcriptura non ſit de facili imitabilis, ut à contrario pro adminiculo veritatis ponderat Rot. *dec. 553. num. 1. part. 1. diverſ.*

Secundò, quòd hujuſmodi teſtamentum, eſſet contra, vel præter omnium teſtantium conſuetudinem, omittendo illa prooemia ſpiritualia, & prudentialia, quæ ex communi uſu in teſtamentis adjici ſolent, ſignum clarum quòd id ita geſtum eſſet, ex dicta ratione brevitatis, in qua imitatio characteris, & confictio faciliùs ſequi poteſt.

Tertiò, fortiſſimè ex maxima inveriſimilitudine, quòd teſtator tam magnas divitias ferè extraneo relinquendo, adeò negligere voluerit propriam animam, necnon tot ſorores, nepotes, & conjunctos, quorum aliquos nimiùm diligebat, ac etiam amicos, & benevolos, & familiares, contra communem omnium uſum, potiſſimè dum aſſis erat affluentiſſimus, adeout cum decima, & longè minori parte, abſque extranei hæredis incommodo, prædictis omnibus benè, ac laudabiliter providere potuerit; Sicuti enim veriſimilitudo, veritatis imaginem habet, & eſt ejus magnum adminiculum, ita inveriſimilitudo imaginem habet falſitatis, ejuſque grave indicium præſtat.

Quartò etiam fortiſſimè, quòd vir qui tenax, & glorioſus reputabatur, tam ingentes divitias ex nihilo cum propria induſtria, & parſimonia partas, ita liberè voluerit relinquere extraneo, qui ad dies, vel menſes eas diſſipare poſſet; Notoria enim, nimiùmque frequens eſt avarorum, ſeu ambitioſorum conſuetudo, relinquendi bona, majoratibus, primogenituris, vel fideicommiſſis ſtrictiſſimè obnoxia.

Præſertim verò avarorum, vel quia ſicuti viventes, cum proprii etiam corporis detrimento, bona conſervare, & cumulare ſtuduerunt, ita morientes, utpotè invidentes ſucceſſoribus liberam fruitionem, ſolent indiſcrete illa vinculare; Vel quia credentes tantùm humano modo carnis reſurrectionem, ita ſtudent, cum fideicommiſſis, & prohibitionibus perpetuæ conſervationi bonorum, ut in die judicii ea reperire voleant intacta; Ideòque prorsùs improbabile videbatur, ut attenta qualitate teſtatoris, quantitate divitiarum, ac modo, cum quo illæ partæ fuerant, hujuſmodi imprudens, & libera diſpoſitio facta eſſet.

Quartò quia, inter ſcripturas magis importantes in ſcrinio ſub clave diligenter ab ipſo teſtatore cuſtoditas, reperta fuit quædam teſtamenti minuta ſatis benè extenſa, per plures ſapientes, de ipſius teſtatoris commiſſione reviſa, in qua ultra conſuetas pias, ac prudentes diſpoſitiones, pro anima, pro conjunctis, benefactoribus, amicis, & familiaribus, continetur inſtitutio hæredis cum erectione perpetuæ primogenituræ, ſummo ſtudio ordinatæ pro conſervatione bonorum in familia; E converſo autem iſta ſchedula ſupponebatur reperta in quadam arca ſine clavi omnibus patente, contra omnem prorsùs veriſimilitudinem.

Sextò, ex inſolito ſtylo teſtatoris circa modum loquendi, ut ex aliis ejus ſcripturis, & diſpoſitionibus deſumebatur.

Septimò ob maximam difficultatem, quam idem teſtator patiebatur ob chyragræ morbum, quo laborabat, vix & cum magno temporis intervallo faciendi ſolam ſubſcriptionem, quam adhuc obliquam faciebat, & cum ſignis denotantibus ſcriptoris nimiam imbecillitatem; Iſta verò ſchedula ex judicio peritorum denotabat manum benè firmam, ac validam, itaut impoſſibile videretur, eam à conſtituto in tali ſtatu ſic extenſè, ac rectè, & continuatè ſcribi poſſe.

Octavò, quia ſupponebatur teſtatorem aſportaſſe ſecum in conclavi iſtam ſchedulam teſtamentariam in fœmoralibus ſemper retentam, ſpatio plurium menſium, in quibus conclave duravit, & tamen pagina eam involvens erat nitida, nullatenus expurgata, vel lacerata, quod ex inſpectione reputabatur impoſſibile, quamvis dicta ſcriptura retenta eſſet in fœmoralibus accurati, & politiſſimi juvenis, multo magis ſenis decrepiti, qui ob morbos chyragræ, & urinæ, ſemper fœmoralia expurcata tenebat.

Et nonò (ultra pleraque alia,) quòd in eadem nocte, qua morbo preſſus obiit, pluries tam à confeſſario, quàm aliis requiſitus, an vellet juxta facultates teſtari, vel diceret, an teſtatus eſſet, eos omnes reſpuit, dicendo pluries verba per eum in aliqua indignatione proferri ſolita.

E contra ponderabantur alia adminicula, magis tamen generalia, atque in pondere, & numero ſatis inferiora; Quòd ſcilicet diligeret teſtamentarium; Quòd pluries dixiſſet velle pro eo emere Abbreviatoriam, imò, & Clericatum Cameræ; Quòd odio haberet aliquos ex nepotibus; Quòd pluries dixiſſet velle ejus bona relinquere ſuæ familiæ, cum ſimilibus, quorum aliqua præſertim ultimum jam dictum, relinquendi bona familiæ, potiùs retorqueri videbatur, atque confovebat quartum, & quintum adminiculum, de quibus ſuprà.

Et nihilominus obſervabam opus non eſſet ut hæc admi-

nicu-

nicula, quæ pro teſtamentario ponderabantur, eſſent minora, adeout à contrariis ſuffocarentur, ſed ſufficere, ut omnia hincinde confluentia eſſent æqualia, ut eis invicem conquaſſatis, vel debilitatis, exinde reſultaret, ut non adeſſent efficacia adminicula, cum quorum præſidio, ſchedula ita parùm tutè recognita, concludentem fidem mereretur, ut propterea fundata remaneret intentio venientium ab inteſtato, qui vincunt per non jus teſtamentarii.

Præterea in iſta materia ponderandi, ſeu metiendi, adminiculorum, ac probationum efficaciam; Dicebam cer-
10 tam, determinatamque regulam tradi non poſſe, atque ſtultitiæ ſpeciem videri, deciſiones, vel doctrinas in uno caſu loquentes, ita ſimpliciter, ac indefinitè cuicumque alteri applicare, cùm totum pendeat ex individuorum caſuum particularibus circumſtantiis inſimul ponderandis, quòdque authoritates loquentes de teſtamentis ad pias cauſas, vel inter liberos, ut præſertim eſt illa Rotæ *dec. 553. p. 1. & dec. 124. part. 2. diverſ.* Put. *dec. 18. de fid. inſtrum.* Cavaler. *dec. 553.* Buratt. *dec. 475.* cum ſimilibus non benè ad rem applicantur.

11 Ubi enim agitur de teſtamento inter liberos, tunc nulla urget ſuſpicio falſitatis, & machinationis, quoniam etiam ſine teſtamento, ab inteſtato ſcripti hæredes ſucceſſuri eſſent, unde potiùs quandam diſtributionem continere videtur, quàm diſpoſitionem deferentem id quod aliàs non competeret; Ideoque ceſſante cauſa falſitatis, ceſſat ea ſuſpicio, quæ meritò intrat, & conſequenter diſpoſitio majorem exigit certitudinem, quando inter eoſdem notabilem inæqualitatem contineret, atque in his terminis loquitur Alexan. *conſ. 114. lib. 7.* contentus recognitione per ſolam comparationem, cujus authoritas ex parte teſtamentarii nimiùm magnificabatur.

Idemque procedit in teſtamento ad pias cauſas, de quo (ut ſupra inſinuatum eſt) loquuntur omnes deciſiones, quas in his terminis habemus, admittentes recognitionem per teſtes habentes notam manum cum adminiculis, quoniam in hac ſpecie duplex concurrit ratio, ob quam levior probatio admittitur, Una ſcilicet veriſimilitudinis, quoniam ſatis veriſimile eſt, ut homines ad æternam vitam cogitantes, pro redemptione peccatorum, ac animæ propriæ ſuffragio ad pias cauſas diſponant; Et altera ex ceſſante privato notabili commodo, ſine quo præſumendum non eſt, ut cum vitæ, ac animæ, & famæ detrimento, ac periculo, committantur illæ falſitates, & machinationes, quarum ſuſpicionem lex habet in teſtamentis, quæ ſint ad favorem extraneorum, ſpretis, anima propria, conſanguineis, amicis, & familiaribus; Potiſſimè ubi agitur de nimis opulenta hæreditate, quæ magnam mutationem ſtatus cauſet, dum tunc ceſſat prima ratio veriſimilitudinis, ac etiam altera, quarum utraque potiùs urget in contrarium.

Ideoque nimiùm clarus error eſſe videtur, authoritates loquentes de teſtamentis inter liberos, vel ad pias cauſas, ſeu etiam inter alios ab inteſtato venientes, etiam cum aliqua, non multùm notabili, ac veriſimili mixtura extraneorum, applicare ad hanc ſpeciem, quamvis, & iſta, quoad remiſſionem ſolemnitatum, pariformiter cum illis tractanda eſſet, quoniam data etiam in hac parte æqualitate, ut ſcilicet, tam in una, quàm in altera ſpecie, ſola probatio naturalis ſufficiat, adhuc tamen iſta, major in una, quàm in altera ſpecie deſideranda eſt, juxta facti circumſtantias, ex quibus major, vel minor ſuſpicio urgeat ex facti qualitate, ad quam individuam, non autem ad regulas, vel doctrinas generalis, mea eſt conſuetudo exclamandi, ut reflecti debeat.

Hinc proinde rigoroſæ ſolemnitates à jure poſitivo in ul-
12 timis voluntatibus introductæ, in propoſito conſiderandæ non ſunt tanquam ſolemnitates ex ſola authoritate legis eas introducentis, ſed tanquam remedia per quæ conſulatur fraudibus, & machinationibus, quibus ſubjecta materia de facili ſubjacet, reflectendo ad rationem, ſeu finem ob quem lex eas introduxit; Et conſequenter, ubi ex Principis indulto ceſſat juris poſitivi diſpoſitio, adhuc conſideranda eſt ejuſdem juris ratio, ob quam, in una magis, quàm in altera ſpecie (dato æquali privilegio) major, vel minor probatio deſideranda eſt.

Optimè id probari obſervabam, combinando duas De-
13 cretales, quæ invicem pugnantes videntur *in cap. cum eſſes, & in c. relatum, de teſtam.* In utraque enim tolluntur ſolemnitates à jure civili in teſtamentis introductæ, ex eadem ratione Divini oraculi, quòd in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum; Et tamen (aſſignata eadem ratione) diverſa emanat diſpoſitio, quia *in cap. relatum*, ubi agitur de diſpoſitionibus ad cauſas pias, ſufficiunt duo teſtes ordinarii; Et *in cap. cum eſſes*, ubi de prophanis, deſiderantur duo teſtes, & parochus, in cujus locum communis DD. traditio ſubrogavit duos alios teſtes, quos omnes voluit integros, cum eo rigore, de quo infrà, *diſc. 25.* & ſic in utroque eadem eſt ratio, & tamen diſpoſitio eſt diverſa.

Quare ingenioſè Butr. *in eodem capit. cum eſſes*, dixit, quòd etiam in diſpoſitionibus ad cauſas prophanas duo teſtes ſufficere debeant, quoniam cùm ex dicto divino oraculo in ore duorum ſtet omne verbum, non potuit Papa contra jus divinum ſtatuere; Rejicitur tamen communi omnium calculo hæc aſſerto Butrii, qui remanet in ejus opinione ſingularis, quoniam, licèt Papa non poſſit derogare Juri divino, attamen poteſt illud declarare, ſeu interpretari, deſiderando majorem, vel minorem probationem, juxta facti qualitatem, quæ majorem, vel minorem ſuſpicionem producat, ut optimè Abb. *in d. c. cum eſſes, in prima lectura, n. 7. de teſtam.* cum quo omnes tranſeunt; Idque manifeſtè probari videtur ex eodem oraculo, in quo ſuperfluitas, neque in ſillaba admittenda eſt, dum alternativè exigit duos, vel tres; Si enim generaliter, ac indefinitè duo ſufficerent, ſuperflua eſſet tertii adjectio, quæ tamen myſterioſè facta eſt, quoniam ob facti circumſtantias, non ſemper ordinaria probatio ſufficit, vel neceſſaria eſt, ſed quandoque imperfecta ſufficit, quandoque verò rigoroſa, & pluſquam perfecta deſideratur; Sic reſpectivè ſubjecta materia exigente.

Fortiùs in hac facti ſpecie, ob magnam aſſis hæreditarii 14
quantitatem, ob quam ratione majoris utilitatis, faciliùs dicebam intrare ſuſpicionem, quæ difficiliùs cadit, ubi utilitas eſt modica, ex deductis per Farinacc. *de falſitate qu. 153. n. 204. & ſequent. & num. 209.* Et in terminis præciſis recognitionis per comparationem, ut attendatur, quando agitur de modica re non excedente libram auri, ſecus autem hujuſmodi exceſſu concurrente, eſt text. *in auth. at ſi contractus, Cod. de fid. inſtrument.* & ponderat Cyriac. *controv. 444. n. 91.* Atque in propoſito majoris, vel minoris utilitatis habetur ſæpiùs ponderatum *in aliis ſuprà, & infrà.*

Scribentes pro teſtamentario, ſupponendo, quòd per eam recognitionem, quæ nemine citato in ipſo inſtanti mortis teſtatoris facta erat per teſtes habentes notam manum, perfectè, & concludenter iſtius intentio jam fundata eſſet, nimiùm inſiſtebant in eo, quòd venientibus ab inteſtato, qui excipiendo teſtamentum impugnabant, incumberet onus perfectè, & concludenter probandi oppoſitam non veritatem, ex regula, quòd reus dicitur in ſua exceptione actor, juxta theor. Bart. *in l. admonendi, n. 50. ff. de jurejur*, quam cæteri ſequuntur.

Verùm motivum continere videbatur claram fallaciam; id enim rectè procedit, quando jam actor concludenter, ac perfectè ſuam intentionem fundavit, cùm tunc reus vo- 15
lens jam probatam actionem elidere, cum ſua exceptione, in iſta dicatur actor, concludenti probationi obnoxius; ſecus autem ubi probatio ex parte actoris eſt imperfecta, atque reus conventus habet fundatam intentionem in diſpoſitione juris, ſolùmque exceptiones deducit ad infringendas probationes actoris, dum adhuc ſunt in fieri, atque ad impediendum, ne illæ naſcantur, ſeu ad perfectionem deducantur, cùm tunc non ſit deſtruere, vel elidere probationem jam factam, ſed impedire faciendam, quo caſu intrat altera vera, & recepta propoſitio, de qua Mandell. *conſ. 451. n. 3.* Surd. *conſ. 505. n. 6.* Merlin. *deciſ. 597. n. 34.* & cæteri, ut reo ſufficiat offuſcare, ac dubias reddere probationes actoris, atque ita diſtinguendo benè habetur in Toletana Decimarum de Capilla 2. Martii & 4. Decembris 1648. cor. Veroſpio *impreſſ. deciſ. 158. & 270. p. 10. rec.* & ſæpiùs.

Iſta verò theorica ſic ſtante; quatenus pertinet ad applicationem in ſubjecta materia; tunc prior pars diſtinctio-
nis procederet, quando ageretur de teſtamento, quod ex 16
ſola ſui facie, abſque alio extrinſeco adjutorio eſſet validum, ac perfectum, ut eſt illud, quod in forma inſtrumenti publici per Notarium, rogatum eſt; tunc enim, quia publicum inſtrumentum facere dicitur probationem probatam, idcircò teſtamentarius abſque alia probatione ſuam intentionem perfectè fundatam habet, ideoque venientes ab inteſtato, qui actum, vel ex capite falſitatis, vel dementiæ, ſeu coactionis, alioque defectu illum deſtruere volunt, concludenter probare debent ſuæ oppoſitionis fundamentum, ut præſertim infrà *diſc. 38. & 39.* Secus autem ubi agitur de ſcriptura privata informi ex ſui facie imperfecta, & nullius fidei, niſi formiter verificetur, cùm tunc abſque dubio verſemur in ſecunda parte diſtinctionis; neque dicta

reco-

recognitio habenda videbatur in conſideratione, dum abſolutum eſt, ut quoties agitur de teſtamento per ſcripturam privatam, recognitio fieri debeat citatis venientibus ab inteſtato, ex deduct. *diſc.* 4. & in aliis, ideòque fallacia erat in applicatione.

Demùm quoad tertiam, & ultimam inſpectionem, quod ſcilicet, data etiam veritate dictæ ſchedulæ, itaut ex Angeli revelatione certi eſſemus, quòd illa ſcripta eſſet à teſtatore; adhuc dicebam id non ſufficere, niſi concurrat proba-
17 tio ſuper voluntate jam perfecta, & determinata, quæ redacta eſſet ad terminum, ſeu actum teſtandi, cùm ſæpiùs hujuſmodi ſcripturæ fieri ſoleant ad præparationem futuræ voluntatis adhuc ambulantis; adeout etiam in teſtamentis ad pias cauſas, in quibus (remiſſis omnibus ſolemnitatibus juris poſitivi) ſufficit ſola probatio naturalis, adhuc tamen exigatur iſta perfectio, quam favor piæ cauſæ non ſupplet, juxta *conſ.* 119. Oldrad. magis communiter receptum, ex iis, quæ pluries habentur *hoc eod. tit.* præſertim *diſc.* 13.

Ideoque non ſufficit, quòd certitudinaliter conſtet de veritate ſchedulæ, niſi etiam dictæ determinatę voluntatis probatio ſaltem præſumptiva ex vehementibus adminiculis, & conjecturis deducta concurrat; ut in eiſdem terminis diſpoſitionis ad pias cauſas probatur ex deductis in Rom. hæreditatis 4. Maji 1656. cor. Meltio, & eadem ejus revocatoria 14. Januarii 1661. cor. Veroſpio ex deductis infra *diſc.* 13. *& ſeq.*

Cùm enim in dictarum deciſionum caſu, in arca morientis ex improviſo, reperta eſſet ſchedula teſtamentaria in nitidum redacta, & in forma actus perfecti, cum die, menſe, & anno, cui etiam adjuncta erat minuta, ſeu ſchedula præparatoria, atque indubitatum eſſet illam eſſe conſcriptam propria manu defuncti, quam ab inteſtato venientes non impugnabant, nullaque concurreret ſuſpicio, atque ageretur de diſpoſitione ad pias cauſas; adhuc tamen de teſtamenti validitate nimiùm dubitatum fuit, ex dicto capite imperfectionis, ſeu non probatæ voluntatis determinatæ.

Atque in ſpecialibus terminis ſchedulæ teſtamentariæ Cardinalis habentis indultum, id ex recenti praxi nimis clarè probari obſervabam ex teſtamento Cardinalis Carafæ, de quo *diſc.*1. Cum enim hic antequam conclave ingrederetur, ſchedulam teſtamentariam, ſatis piè ac prudenter quoad ſubſtantiam (licèt infeliciter explicatam quoad modum) ordinaſſet, prævia etiam minuta, ſeu ſcriptura preparante, utramque relinquendo benè cuſtoditam in ſcrinio, in quo ſub clave res magis pretioſas, atque ſcripturas majoris importantiæ retinebat, adhuc tamen non exinde credidit ſe teſtatum eſſe, quoniam in conclavi, agnoſcendo ſe morti proximum, accerſitis Notario, & teſtibus pro futuro teſtamento ordinando, declaravit ſe teſtari relativè ad dictam ſchedulam; ergo iſtius ſola verificatio de facto non ſufficit, niſi etiam concurrat probatio ſaltem adminiculativa dictæ determinatæ voluntatis deventæ ad terminum, ſeu actum teſtandi.

Hæc autem probatio in præſenti non videbatur adeſſe, imò potiùs excludebatur ex pleriſque adminiculis in præcedenti inſpectione ponderatis ſuper ſuſpicione, ſeu non veritate ſchedulæ, illo præſertim, quòd inter ſcripturas neglectas, dicta ſchedula teneretur in arca ſine clavi; ideoque ubi ad excludendam materiam objectivam, & criminoſam dicta adminicula reputanda non eſſent ſufficientia ad convincendam non veritatem; ſatis tamen conſiderabilia videbantur ad hunc effectum excludendi perfectionem, ſeu impediendi perfectionis probationem; ac propterea duo æquè principales defectus concurrere videbantur, quorum quilibet ſufficeret, multò magis eis inſimul concurrentibus.

Ponderabam item, quòd aliàs infelix eſſet conditio Cardinalium, aliorumq; habentium hujuſmodi Indultum, quoniam in odium potiùs illud retorqueretur, dum ita non poſſent Indultarii eorum futuras ultimas diſpoſitiones præparare, ac facere illas minutas, quæ etiam pluries reiterari ſolent; ac ulteriùs magis ſubjacent Principes, & Magnates imitationi eorum characteris, ob peritiſſimos aulicos, & miniſtros, qui adeo frequenter illum præ manibus habent; ideoque de facili, abſque animo teſtandi, decederent teſtati ad favorem eorum quos noluerunt, iſtaque indulta retorquerentur in odium, ut etiam occaſione *S.C. Liboniani*, in altero teſtamento Cardinalis ponderatur infrà, *diſc.* 8.

Hæc deducebam ſcribendo in cauſa pro venientibus ab inteſtato, adhuc tamen ob facti circumſtantias, ac materię dubietatem, & ex aliis prudentialibus motivis, laudavi concordiam, iſteque mihi viſus eſt honeſtus, ac prudens cauſæ finis.

S U M M A R I U M.

1 *De teſtamentis Cardinalium.*
2 *De Collegio Cardinalium, eorumque juriſdictione Sede Vacante.*
3 *De Indulto teſtandi.*

ANNOT. AD DISC. VI. cum ſeqq. ad IX. incluſivè.

De teſtamentis Cardinalium per ſolam ſchedulam priva- 1
tam, eorumque indultis teſtandi, alia aliter non adfuit occaſio diſputandi, ſolùmque de eorum indultis agitur in ſua ſede *ſub titul. de benef. diſc.* 1. *& ſeqq.*

De collegio autem Cardinalium, eorumque juriſdictio- 2
ne, habetur actum *in Relat. Cur. diſc.* 5. *& in tit. de juriſd. diſc.* 116. ubi de eorum juriſdictione Sede vacante.

Circa ea, quæ habentur *diſc.* 9. concernentia indultum, 3
ſeu facultatem teſtandi, videri poterunt deducta *in hoc eod. tit. diſc.* 91. ubi de facultate conceſſa per religionem militi Hieroſolymitano, an ſuffragetur ſi iſte habuiſſet aliam teſtandi facultatem Apoſtolicam.

Prima deciſio cor. Alberg. emanata in caſu, de quo *diſc.* 7. habetur impreſſa *p.* 13. *rec. deciſ.* 4.

Deciſiones cor. Veroſp. & Cerro, de quibus *diſc.* 8. habentur *p.* 13. *rec. deciſ.* 190. *& p.* 14. *deciſ.* 111. *&* 159.

ROMANA HÆRETITATIS DE JUSTINIANIS PRO MARCO ANTONIO JUSTINIANO CUM FLORAVANTE MARTINELLO.

Caſus deciſus per Rotam pro Martinello.

De eadem materia teſtamenti conditi per Cardinalem, cum ſimplici ſchedula, in vim indulti, quando dicatur validum, & habile ad revocationem prioris teſtamenti conditi ad formam juris civilis cum ſolemnitatibus; & de differentia inter bona patrimonialia, ſeu aliàs ex cauſa temporali quæſita, & alia obventa ex bonis Eccleſiaſticis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Per teſtamentum validum abſque ſolemnitatibus revocatur primum, licèt ſolemnitates habeat.*
3 *An teſtamentum evaneſcat per lapſum decennii, & quando.*
4 *Ponderantur conjecturæ, ex quibus primum teſtamentum cenſetur habitum pro revocato, & neglecto.*
5 *Bona clericorum dicuntur militaria ad differentiam patrimonialium, quæ dicuntur paganica, & de illorum differentia ad effectum teſtandi.*
6 *De prohibitione teſtandi in Clericis, & Indultis Cardinalium, an capiant bona eccleſiaſtica.*
7 *Cardinales gaudent in materia teſtamentaria omnibus privilegiis militum.*
8 *In teſtamentis Cardinalium non attenduntur ſubtilitates juris, ſed ſpectatur ſola veritas naturalis.*
9 *De duplici patrimonio clericali, & quomodo Eccleſiaſticum debeat regulari.*
10 *Ponderatur ſimile de teſtamento militari.*

D I S C. VII.

De anno 1633. Cardinalis Horatius Juſtinianus exiſtens 1
in minoribus, teſtamentum condidit nuncupativum nuncupatione implicita; mediante ſchedula clauſa, & ſigillata Notario tradita, deinde verò, ad Cardinalatus apicem evectus, de anno 1649. quamdam ſchedulam fecit, à Floravante Martinello ejus antiquo, ac intimo familiari conſcriptam, atque à ſe ſubſcriptam, in qua nonnulla fecit legata, & declarationes, in ejus hæredem verba dirigendo, neglecta tamen fuit dicti hæredis inſtitutio, quam alter intimus familiaris dicebat eidem Floravanti per Cardinalem injunctam eſſe in perſona P. Juliani germani fratris, atque ita præſupponendo Cardinalis de bonis ſuis diſpoſuiſſe obiit, unde P. Julianus (cui etiam inteſtata ſucceſſio debebatur) mediante opera ejuſdem Martinelli, ſupellectilia, in quibus totus aſſis hæreditarius conſiſtebat, diſtraxit, pretium convertendo partim in emptionem officii, de quo agitur in hac eadem cauſa *ſub titul. de Regalibus ad materiam officiorum, diſc.* 1. & partim (ut pro conſtanti credebant) in pietatis opera ab eodem teſtatore oretenus in-

un-

juncta, abſque eo quòd ipſo vivente, Martinellus quidquam motivaret; ſequuta verò dicti P. Julian. morte, ſcripto hęrede Marco Antonio Juſtiniano, prodiit in lucem dictum teſtamentum uſque ab anno 1633. conditum; cùmque eo aperto ſcriptus hæres repertus eſſet idem Martinellus, iſte contra dictum Marcum Antonium abſentem, minorem, ac indefenſum, tanquam hæres teſtamentarius ad bona teſtatoris hæreditaria immitti obtinuit ab A. C. cujus ſententia confirmationis robur accepit à duabus ſententiis Rotalibus, præviis duabus deciſionibus ipſo tantùm informante editis ſub diebus 13. Januarii 1659. coram Albergato, & 4. Julii ejuſdem anni coram Celſo, quarum ſecunda eſt inter ejus impreſſas *dec.* 305. Cumque Signatura Juſtitiæ reſcripſiſſet alteri cum clauſula, *ſine præjudicio trium conformium*, coram eodem Judice tertiæ inſtantiæ datum fuit dubium, an conſtaret de tribus, quæ veniant exequendæ, atque in hoc ſtatu ad Marci Antonii defenſionem aſſumptus fui.

Ponderando autem d. deciſiones, mihi (ad veritatem
2 etiam reflectenti) videbantur parùm probabiles, ſtante poſteriori diſpoſitione, per quam prior ceſſabat *ad vulg. §. poſteriore, Inſtit. quibus mod. teſtam. infir.* Cùm non dubitetur, ut teſtamentum per ſolam ſchedulam confectum in vim Indulti Pontificii tanquam Cardinali conceſſum, ſufficiat ad revocationem prioris teſtamenti, quamvis cum ſolemnitatibus juris civilis conditi, quoniam ſufficit illud eſſe validum, & perfectum in ſuo genere, ut frequens habemus in teſtamentis ad pias cauſas, vel inter liberos conditis in revocationem præcedentium, omnes ſolemnitates Juris Civilis habentium, quamvis in eis etiam ad pias cauſas, vel inter liberos diſponeretur.

Id autem in utraque deciſione non negatur, ſed evitatur ex applicatione, ſtante iſtius ſecundi imperfectione, ob omiſſam hæredis inſtitutionem, circa quam non placuit deferre depoſitioni alterius familiaris dicentis eam à teſtatore demandatam fuiſſe, neglectam tamen ab eodem Martinello ſchedulæ ſcriptore; tum quia teſtis unicus, cui etiam aliquæ dabantur exceptiones; tum etiam ob inveriſimilitudinem, quòd intimus, ac antiquus familiaris, qui longam ac fidelem ſervitutem præſtiterat, voluiſſet ita ſe exponere manifeſto periculo fraudis ictu oculi detegibilis, præſertim quia ſchedula ſubſcripta erat, & ex qua ſubſcriptione oritur præſumptio, quòd Cardinalis priùs legerit, ac ſciverit omnia in eo contenta.

Et quoad duo contraria adminicula reſultantia ex quietantia facta eidem Martinello de ejus adminiſtratione cum legato pleniſſimæ liberationis, & ex eo, quòd idem ſequuta morte Cardinalis omnes actus nomine Patris Juliani, & tanquam ejus adminiſtrator geſſerit, ſubſtinendo, atque regendo litem in Rota habitam cum Luca Juſtiniano; reſpondetur cum regulis generalibus, ad primum ſcilicet, quòd erat in poteſtate Martinelli hæreditatem non adire, vel in facultate Cardinalis poſt dictam quietantiam alium hæredem inſtituere, ideoque legatum remanebat iſto caſu operativum; & ad ſecundum, quòd non probaretur de tempore dictorum actorum ſcientia omninò certa, & ſpecifica, ut requiritur ad effectum gravis præjudicii.

Atque ad motivum indulti non complectentis dictam precedentem diſpoſitionem, reſpondetur cum facto, quòd ſcilicet illud literaliter comprehendat etiam teſtamenta antecedenter condita, ut liquet ex deciſionibus, quæ nihil ſpeciale in propoſito continent, ſed procedunt cum generalitatibus, adeout earum lectura oſtendat hanc partem indefenſam fuiſſe.

Quia verò diſputatio, ad quam aſſumptus fui, percutiebat ſolùm ulteriorem exequutionem ſuper officio, in quo illa tota fuit, adeout quoad negotium principale, cauſa (ut dici ſolet) eſſet cadaver quatriduanum, nonniſi ex miraculo reſuſcitabile, hinc probabile eſt, quòd de ſequentibus, quæ incidenter occaſione dictæ diſputationis ſemel inſinuavi, nulla conſideratio habita fuerit, dum in ſubſequentibus diſputationibus unica difficultas reſtricta fuit ad peculiarem naturam officii, ex deduct. in hac eadem cauſa *ſub tit. de regal. diſc.* 1.

Ex pluribus tamen ſimul, ac unitim ponderandis, mihi videbatur, ut veritas eſſet in contrarium, quòdque per probationem naturalem, quæ ob indultum ſufficiens videtur, conſtaret de voluntate Cardinalis habendi primum teſtamentum pro derelicto, ac revocato, deferendi autem ejus ſucceſſionem in Julianum fratrem, vel tanquam hæredem, quem credebat in ultima diſpoſitione ſcripſiſſe, vel tanquam ſucceſſorem ab inteſtato, à quo etiam non implicabat adimpleri poſſe legata in dicta ſchedula contenta, quæ poſſunt etiam ab inteſtato deberi, ſtante præſertim longo intervallo annorum 16. neglectis juris civilis ſubtilitatibus, ac rigoribus in hac facti ſpecie non attendendis.

Dicebam etenim, quòd ex diſpoſitione juris contenti in
Codice Theodoſiano, ſatis dubitari poterat de validitate 3
teſtamenti poſt decennalem ſuperviventiam Teſtatoris, etiamſi de voluntate revocandi non conſtaret, quaſiquòd tanto temporis intervallo teſtamentum ſeneſceret, atque oriretur præſumptio, quòd Teſtator, illud pro neglecto habuiſſet tanquam ejus oblitus; Ad hanc autem dubietatem removendam, edita fuit per Juſtinianum Conſtitutio *in l. ſancimus*, *Cod. de Teſtamentis*, ubi diſponitur, ut ſolus lapſus temporis non ſufficiat, niſi etiam tres teſtes concurrant ad probandam voluntatem decedendi ab inteſtato, ex iis quæ in ſpecie hujuſmodi revocationis habentur deducta infrà in Farfen. teſtamenti, *diſc.* 64.

Cùm autem in hac facti ſpecie ob Indultum non intraret
ſubjecto juris poſitivi contenta *in d. l. ſancimus*, ſed proce- 4
dendum eſſet cum ſolis terminis probationis naturalis; Hinc proinde dicebam, ut ad iſtam convincendam, ſatis concludere viderentur tot circumſtantiæ inſimul unitæ, ponderando in propoſito; Primo dicti juris poſitivi rationem, ob præſumptionem reſultantem à lapſu decennii ſuper prioris teſtamenti oblivione, ac deſertione, quæ aliàs ſola, favore venientium ab inteſtato ſufficiebat, itaut dicta prior lex, non in qualitate legis, ſed in ejus ratione attendi deberet; Secundò depoſitionem dicti teſtis, cujus etiam fides per teſtatorem ex multis actibus nimiùm probata juſtificabatur; Tertiò quietantiam, ac legatum liberationis ejuſdem Martinelli, quem proinde teſtator credidit non eſſe ejus futurum hæredem, dum aliàs tale legatum incongruum, atque incompatibile eſſet; Quartò quòd teſtator eidem Martinello iſtam ſchedulam conſcribendam injunxit, argumentum clarum, quòd eſſet oblitus dicti prioris teſtamenti per ſexdecim annos præcedentis, atque in longè diverſo ſtatu ordinati, ideoque non cogitaverit, ut hæc ſecunda diſpoſitio contineret ademptionem hæreditatis huic relictæ, cùm aliàs veriſimiliter, non iſtius, ſed alterius opera uſus eſſet; Quintò fortiſſimè ob notabilem immutationem ſtatus rerum, quoniam de tempore conditi dicti prioris teſtamenti, teſtator erat pauper presbyter Congregationis Sancti Philippi in Oratorio Vallicellæ, cujus aſſis hæreditarius in paucis libris, ac modica modeſta ſupellectili conſiſtebat, ideoque congruum erat, ùt cum ea modica mercede, remuneraret gratuitum ſervitium, aliquo notabili tempore ſibi præſtitum à dicto Martinello, quem tunc malè proviſum ſciebat. E' converſo autem, tempore hujus ultimæ diſpoſitionis factæ in gravi infirmitate, ex qua ſequuta fuit mors, teſtator fortunam mutaverat, ejuſque aſſis hæreditarius erat notabilis; Ac etiam, quia ob hanc ſtatus mutationem, ſatis benè, ac ſuperabundanter, dictum Martinellum providerat; ejuſque præmiaverat ſervitium; Ideoque nimia inveriſimilitudo reſiſtebat, ut in hoc ultimo tam diverſo ſtatu, cum dicta priori voluntate decedere voluiſſet.

Et his omnibus pro maximo adminiculo accedebat ſubſequuta obſervantia ejuſdem Martinelli, qui vivente dicto Juliano conſcio veritatis, quam de facili detegere potuiſſet, nil motivavit de hoc teſtamento, cujus ſcientiam ſaltem genericam pro certo habebat; Ideoque ex his omnibus inſimul unitis mihi videbatur, quòd hæc veritas palparetur manibus, adeout præſens cauſa non levem dederit admirationem Curiæ ob malam ejus faciem, qua non obſtante hic teſtamentarius invenerit tantam benignitatem, ac propenſionem in adeò prudenti, ac integerrimo Tribunali, quod principaliter reſpicere profitetur ad rerum bonum, vel malum odorem, (ita ſæpiùs cauſarum fato exigente.)

Præterea (altiùs materiam aggrediendo) ponderabam,
quòd in omnem eventum, ubi etiam, his non obſtantibus, 5
dictum primum teſtamentum vires haberet, adhuc tamen illud ſolum capere deberet bona patrimonialia, ſeu aliàs temporalia, quæ (legaliter loquendo) paganica dicuntur, non autem eccleſiaſtica, & ex Eccleſiarum, ac beneficiorum emolumentis quæſita, quæ rectè militaria dici poſſunt, cùm clerici, & Eccleſiaſtici, milites Chriſti dicantur.

Ex decreto ſiquidem Concilii Lateranenſis *in cap. relatum, il ſecondo de Teſtamentis, & ex cap. quia nos, eod. titul.*
prohibitum eſt eccleſiaſticis teſtari de iis, quæ Eccleſiæ con- 6
ſideratione quæſierunt, ut firmant communiter ſcribentes, de quibus Sarmiento *de redditibus Eccleſ. p.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. *cum ſeq.* Cohell. *de notitia Cardinalium cap.* 16. *privil.* 18. *in principio.*

Et

Et quamvis hæc prohibitio tollatur in Indulto Cardinalibus concedi ſolito diſponendi, adeout etiam non facta diſpoſitione, ex ejuſdem Indulti præſcripto, bona tranſmittantur ad venientes ab inteſtato; Attamen dubium eſt in jure, an Papa concedere valeat Cardinalibus hoc Indultum diſponendi de bonis eccleſiaſticis, quæ Eccleſiæ atque Cardinalatus intuitu acquiſita ſint, ut liquet ex Barbat. *de Cardinalibus, q.4. nu. 7.* ubi licet affirmativam probet veriorem, ſubjungit tamen, quod uſus talis Indulti reſtringi debet ad diſpoſitiones honeſtas, vel pias, non autem, ut extraneis relinquant.

Hæc autem reſtrictio, licet habeat impugnatores reſpectu bonorum quæſitorum ex illis obventionibus, quas præbet Cardinalatus tamquam ſimplex munus, ſeu officium; Admittitur tamen in iis, quæ acquiruntur ratione Eccleſiarum, ac beneficiorum, ex deductis per Dianam *tom.2. reſol. moral. p.5. tr.2. de Cardinalibus, q.* 50. & admittitur apud Bertrand. *conſ.*153. *lib.7. poſt num.* 4. Et hic autem erat caſus, quoniam omnia bona in hujuſmodi hæreditate remanſa, proveniebant ex acquiſitionibus ratione Epiſcopatuum Montis alti, & Nuceriæ, ac etiam muneris Summi Penitentiarii, & ex redditibus beneficiorum eccleſiaſticorum, ac penſionum, cum nimium modica eſſent ea emolumenta, quæ teſtator in brevi Cardinalatu obtinuerat ex munere Bibliothecarii, aliiſque muneribus, quæ licèt Cardinalitia, non erant tamen Eccleſiaſtica.

Quicquid autem ſit de uſu dictæ diſtinctionis, quæ in praxi de facto recepta non videtur, dum vigore Indulti, Cardinales indiſtinctè de eorum bonis quomodocumque quæſitis diſponunt in perſonas, vel uſus benè viſos, & quatenus non diſponerent, tranſmittunt ad venientes ab inteſtato; Attamen dicebam negari non poſſe, quin hujuſmodi dubitatio per DD. habita, aliquam inferat dubietatem, præſertim apud nimium pios, & ſcrupuloſo viros, inter quos abſque dubio iſte teſtator computandus erat, utpotè vir religioſiſſimus, ac vitæ exemplaris, qui more optimi Religioſi, diù vixerat in dicta Congregatione Oratorii, neque Cardinalatus, ejus mores in minimo immutaverat.

Hinc proinde advertebam, quod hujuſmodi diſtinctio, ſeu DD. dubietas, ponderanda videretur, tanquam unum ex adminiculis, cùm præcedentibus ponderandum, ad excludendam voluntatem includendi ſub dicto priori teſtamento ad favorem penitus extranei ordinato hanc bonorum ſpeciem, utpotè, juxta unam opinionem, erogandam in pios, ac laudabiles uſus, quales ultima diſpoſitio continebat ad favorem germani fratris ab inteſtato venientis, piiſſimi, & religioſiſſimi viri, qui de facto, tam de iſtis, quàm de propriis bonis, nonniſi in pios uſus diſpoſuerat, & inter quos juſtè computandum videbatur id, quod favore iſtius pauperis conjuncti diſpoſitum erat, ex conſiderationibus deductis in hac eadem cauſa *ſub dicto titul. de Regalibus, diſc.* 1.

Neque dictæ diſtinctioni obſtare videbatur regula, quod quis decedere non poſſit pro parte teſtatus, ut ita ſeque-
7 retur; Quemadmodum enim id permiſſum eſt militibus, ita conceſſum quoque videtur Cardinalibus, qui ex veriori ſententia, omnia privilegia militaria teſtando obtinent, ex deductis per Alban. *de Cardinalibus, quæſt.* 42. §. 2. *principaliter*, Germon. *de ſacror. Immunitat. lib.* 3. *cap.* 6. *nu.* 66. Gratian. *diſcep.*312. *num.* 11. Diana *d. part.* 5. *tract.2. de Cardinalibus, c.* 51.

Quodque in teſtamentis Cardinalium, ſtante indulto, attendi non debeant ſubtilitates juris civilis, ſed ſpectetur
8 ſola veritas naturalis, ex Jacob. Gall. *conſ.* 69. *& aliis habetur* in Romana legati 14. Aprilis 1660. coram Priolo, de qua *diſcurſ. ſeq.* ad materiam Liboniani ſuper legato ſibi ipſi adſcripto.

Item quia, ut advertitur *ſub tit. de benefic. diſc.* 81. *cum ſeqq.* clericus duplex habet patrimonium, unum privatum
9 prophanum, in quo habet hæredem teſtamentarium, vel legitimum, Et alterum eccleſiaſticum, in quo habet hæredem ipſam eccleſiam, cujus loco in pleriſque partibus ſucceſſit Camera Apoſtolica; Ex indulto autem Cardinalium, vel aliorum qui illud habeant, ſuccedit idem legitimus, vel teſtamentarius; Certum autem eſt, quod hoc patrimonium eccleſiaſticum non agnoſcit ſubjectionem juris civilis, ſed ad limites juris naturæ, ad quod indultum, ſublatis omnibus ſolemnitatibus, ac diſpoſitionibus juris poſitivi, hanc diſpoſitionem reducit, ideoque ipſa ſola veritas naturalis attendi debet juxta ea, quæ habentur *infra, diſc.* 13. *& ſeqq.* de diſpoſitionibus ad pias cauſas.

Si enim in ipſa ſtricta juris civilis cenſura, in teſtamento militis, ob militarem ſimplicitatem, tollerantur hujuſmodi defectus, adeout rectè admittatur ut decedat pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, neque intrent illi rigores
quos habemus in teſtamento pagani; Multò magis in hu- 10
juſmodi diſpoſitionibus clericorum, & eccleſiaſticorum de bonis eccleſiaſticis, ut ſcilicet attendi debeat ſola veritas naturalis, quod teſtator in ultimo vitæ ſpatio noluerit hæreditatem, & bona obvenire in eum, qui in dicto antiquo, ac probabiliter neglecto teſtamento inſtituerat, ſed in germanum fratrem legitimum ſanguinis hæredem, in quo ob ejus qualitates, teſtator majorem fiduciam rationabiliter habebat, quod bona, ut ſupra, diſtributurus eſſet in ea pia opera, in quæ una opinio, ut ſupra, credit ea diſtribui debere, ideoque non videbatur permittendum, ut ex ſola juris civilis ſubtilitate, neglecta naturali veritate, bona obvenirent in eum, quem attenta veritate naturali conſtabat à teſtatore vocatum non eſſe.

ROMANA LEGATI PRO PRINCIPE NICOLAO LUDOVISIO, CUM LUCA JUNCTA.

Caſus deciſus per Rotam pro Juncta, poſtea concordatus.

De eadem materia Indulti Cardinalitii, an præſertim deroget diſpoſitioni Senat. Conſil. Liboniani contra ſibi adſcribentes in teſtamento; Et incidenter de aliquibus ad materiam ejuſdem Senat. Conſil. Liboniani.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Quæ placuerant, & n.* 22.
4 *Quod ex indulto ceſſat Libonianum.*
5 *Rejicitur, & quid operetur indultum.*
6 *Libonianum non reſpicit ſolemnitates, ſed voluntatem.*
7 *Procedit etiam in teſtamento militari, vel inter liberos.*
8 *Ita indultum retorqueretur in odium.*
9 *Reprobatur ratio Jacob. Gall.*
10 *Quod in diſpoſitis favore Eccleſiæ, vel piæ cauſæ non intret Libonianum.*
11 *De circumſtantiis concurrentibus in conſimili caſu, de quo agit Jacob. Gall.*
12 *De regula invalidæ diſpoſitionis ad favorem ejus qui ſibi adſcripſit.*
13 *Recenſetur ſubſcriptio, & an ſit ſpecialis.*
14 *Quando dicatur ſubſcriptio ſpecialis ad hunc effectum.*
15 *Et quando ſit generalis.*
16 *De ratione ob quam deſideratur ſubſcriptio ſpecialis.*
17 *An juramentum, vel ſtipulatio in teſtamento operentur remiſſivè.*
18 *An probitas ſcriptoris attendatur.*
19 *Lex non attendit individua.*
20 *An, & quando Libonianum ceſſet in teſtamento nuncupativo, ſi ſubſtantia non pendet à ſcriptura.*
21 *De aliis fundamentis quæ rejiciuntur.*
22 *Quod tamen reſolutiones placeant, & de ratione.*
23 *Quando militent rationes Liboniani.*
24 *Quod tota vis ſtet in applicatione.*
25 *Non procedit Libonianum cum venientibus ab inteſtato.*
26 *Quomodo iſta materia regulanda, & decidenda ſit.*

DISC. VIII.

IN teſtamento Cardinalis Ludovici de Ludoviſiis conſcripto manu Lucæ Junctæ ejus ſecretarii, in quo Plum-
bini Princeps Nicolaus, ejuſdem Cardinalis germanus fra- 1
ter, hæres inſtitutus fuit; Inter alia continebatur legatum ad favorem dicti Lucæ ſcutorum bis mille pro una vice, ac partis panis, & vini, ipſius Cardinalis familiaribus dari ſolitæ ad vitam; Dicto autem teſtamento poſt mortem teſtatoris publicato, hærede abſente; Duciſſa Fiani, mater, & procuratrix, ſolvit legatum ſcutorum bis mille, atque per aliquos menſes dedit partem panis, & vini; Deinde verò hæres accedens ad Urbem, atque conſultus ab Advocatis tunc temporis, (quando ego ſcholis, vel praxi Tribunalium Neapolis vacabam) à dictæ præſtationis ſolutione abſtinuit, ob ejus nullitatem à Senat. Conſ. Liboniano inductam

ductam contra ſibi adſcribentes in teſtamento, adeout dicti Advocati crederent, ut etiam locus eſſet repetitioni ejus, quod ut ſuprà, per procuratricem ſolutum fuerat; Quare poſt plurium annorum decurſum, Lucas judicium inſtituit coram A. C. à quo ob dictam nullitatem, ſententia abſolutoria rei conventi prodiit; Commiſſa verò cauſa appellationis coram Celſo, datoque dubio, an legatum debeatur, ſub die 28. Junii 1658. affirmativa, favore legatarii prodiit reſolutio, *inter ejus impreſſ. dec.* 271. ad cujus deciſionis normam expedita ſententia, illa in alia inſtantia confirmata fuit, præviis duabus deciſionibus 14. Aprilis 1660. coram Priolo, & 4. Julii 1663. coram Veroſpio, quarum
2 prima eſt impreſſa poſt Zuff. *de legit. proceſ. deciſ.* 51. Commiſſaque denuò cauſa ab exceſſiva dicti legati liquidatione, (de qua ſolùm in ultima deciſione cor. Veroſp. actum fuit,) ſub die 17. Martii 1664. coram Cerro pro reformatione dictę liquidationis reſponſum fuit, quod anſam dedit concordiæ, per quam controverſia finem habuit.

Quamvis autem reſolutiones de ſtricta juris cenſura, parùm probabiles, nullique legali fundamento innixæ videantur, ob nimis clara, & literalia jura in contrarium diſponentia, de quibus infrà, & cum quibus paſſim procedunt DD. adeout in dictis deciſionibus, nulla deducatur
3 ſpecialis authoritas, cui innixæ ſint; Attamen ex facti qualitate, & circumſtantiis, mihi quamvis inſcribenti pro hærede ſuccumbente (reflectendo ad veritatem,) probabiles viſæ fuerunt, atque juxta meum votum habitum in congreſſibus deſuper habitis pro cauſæ dilectione; Ego enim promovendo difficultates, eram in ſenſu, ut omninò promptæ aures præberi deberent concordiæ, quam ſatis honeſtam actor ante litis excitationem etiam cum precibus offerebat; Verùm à ſenioribus motivum neglectum fuit, quaſi quòd, ob jura literalia, concordemque ſenſum DD. nulla caderet timendi, vel dubitandi ratio, vel occaſio.

In hujuſmodi autem diſputationibus, duæ fuerunt inſpectiones; Una ſcilicet in terminis generalibus juris communi
4 cuicumque privato teſtatori congruis; Et altera in terminis ſpecialibus hujus teſtamenti conditi per Cardinalem in vim indulti diſpenſantis quibuſcumq; juris poſitivi ſolemnitatibus, adeout ſola veritatis naturalis probatio ſufficiat.

Quatenus pertinet ad hanc ſecundam inſpectionem; Scribentes pro actore, magnum fundamentum conſtituebant in ſpeciali authoritate Jacob. Galli *conſ.* 60. ubi in individuo firmatur validitas conſimilis legati contenti in teſtamento alterius Cardinalis ad favorem Secretarii, qui propria manu illud conſcripſerat, ita faciendo magnum allegationum cumulum ſuper propoſitione, quòd doctrinæ punctuali non habenti contradictorem, in judicando deferendum ſit, perinde, ac ſi eſſet caſus legis.

Meritò autem iſtud fundamentum in deciſionibus negligitur, quoniam indultum prodiit in gratiam, ac favorem teſtatoris, ita duplex obſtaculum tollendo; Primò ſcilicet
5 illud ſolemnitatum, Et ſecundò alterum prohibitæ facultatis diſponendi, quam habent clerici de bonis eccleſiaſticis, atque eccleſiaſticorum beneficiorum occaſione quæſitis, ideoque reſpicit factionem teſtamenti activam, non autem paſſivam, atque diſpenſat cum teſtatore, non autem cum hærede, vel legatario, Gregor. *dec.*87. *n.* 5. *& ſeq.*

Ac etiam quia Libonianum non percutit ſolemnitates, ſed voluntatem, de qua per ſpecialem ſubſcriptionem vult
6 certificari, ideoque percutit defectum juris naturæ, cui Princeps non diſpenſat, ut habetur pluries infrà ad materiam tex. *in cap. relatum, de teſtam.* in propoſito teſtamentorum, ac diſpoſitionum ad pias cauſas, quòd licèt in eis omnes ſolemnitates remiſſæ ſint, non tamen favor piæ cauſæ ſupplet defectum, ſive imperfectionem voluntatis, quoniam iſte continet defectum naturæ.

Quod in ſpecialibus terminis Liboniani habemus in te-
7 ſtamento militis, vel inter liberos, (ubi ratio notabilis inæqualitatis urgeat,) quoniam omnes ſolemnitates juris poſitivi remiſſæ ſunt, & tamen adhuc Libonianum intrat ad text. *in l.1. §. ad teſtamenta, ff. ad l. Cornel. de falſ. & leg. fin. de his quæ pro non ſcript. & l. penult. Cod. de his qui ſibi adſcrib.*

Item quia, ut advertitur *diſc. præced.* hujuſmodi indulta,
8 quæ in gratiam, ac favorem Cardinalium prodierunt, ita retorquerentur in odium, atque deterior eſſet conditio Cardinalium, aliorumque Indultariorum, quàm privatorum, dum ob alias occupationes, coguntur eorum diſpoſitiones ordinare per ſecretarios, alioſque familiares, in quorum fide ſubſcribunt, ideoque nimiùm de facili, decipi, ac ſupplantari poſſent.

Et quamvis Jacob. Gall. *d. conſ.* 60. *numer.* 7. pro ratione ponderet libertatem, quam Indultarii, præſertim Cardinales, habere debent diſponendi, abſque obligatione pa-
tiendi ſubjectionem juris poſitivi; Attamen eſt inſulſa con- 9
ſideratio, benè cadens in iis, in quibus lex poſitiva percutiat defectum poteſtatis, adeout diſponens, neque volens poſſit aliter diſponere; Secus autem in iis, quæ (ut dictum eſt) percutiunt ſolam voluntatem, cujus certa probatio pendeat à ſolo facto ipſius diſponentis, mediante ſpeciali ſubſcriptione, vel alia ſpecie probationis, cùm tunc nullum libertati præjudicium inferri dicatur.

Et quamvis iidem ſcribentes nimiùm inſiſterent in firma- 10
tis per Rotam apud Merlin. *dec.*805. ubi in ſpecie firmatur, ut Libonianum non intret in diſpoſitis favore Eccleſiæ, quamvis diſpoſitio ſcripta eſſet ab ejuſdem Eccleſiæ Rectore; Unde propterea à ſimili inferebatur, ut idem dicendum eſſet in præſenti, cùm indultum Cardinalitium, diſpenſando omnibus ſolemnitatibus juris poſitivi, reducat rem ad terminos juris naturæ, cum quibus piæ diſpoſitiones regulantur; Attamen non benè procedit æquiparatio, quoniam diſpoſitio facta favore Eccleſiæ, vel piæ cauſæ non acquiritur Rectori, neque ejus principale, ac directum intereſſe reſpicit, quamvis exinde aliquod emolumentum in fructibus obtineat, quoniam cùm ſit modicum, & acceſſorium commodum, ob iſtud, præſumendum non eſt in Rectore vero eccleſiaſtico, hujuſmodi crimen, quod nonniſi pro magna utilitate committi ſolet, ut in propoſito ſuppoſitionis teſtamenti, vel falſitatis, habetur pluries *in præcedentibus, ac ſequentibus.*

Unde in propoſito hujuſmodi diſpoſitionum ad pias cauſas habetur, ut clericis, ac Religioſis ejuſdem Eccleſiæ, vel Monaſterii legataris deferatur, quamvis non ſint teſtes omninò integri, cùm hoc acceſſorium, ſeu affectionis intereſſe aliqualiter minuat de fide, non tamen eam in totum tollat, ut infrà ad materiam teſtamentorum ad pias cauſas; Igitur multò minùs iſtud crimen admittendum eſt; Hæc autem ratio non intrat in privato ſibi adſcribente, potiſſimè, quia, ut dictum eſt, indultum ſuffragatur teſtatori, non autem teſtamentario, atque reſpicit factionem teſtamenti activam, non autem paſſivam.

Prætereà in caſu, de quo agit Jacobus Gallus *dict. conſ.* 60. aliæ concurrebant probationes, quæ ſpeciali ſubſcriptio-
ni æquipollebant, atque omninò certam reddebant teſta- 11
toris voluntatem, dum alter Cardinalis, teſtatoris intimus, ac alter probatus vir, deponebant talem verè fuiſſe teſtatoris voluntatem; Ideoque dictum motivum indulti deducitur ad ſuperabundantiam, more Conſulentium plura cumulantium motiva relevantia, & irrelevantia ob ingeniorum diverſitatem, (ob quam frequenter edocemur, quòd judices, neglectis motivis ſolidis, ac relevantibus, fallacia, & irrelevantia amplectuntur, exindeque reſultat effectus bonus, ex cauſa non bona.)

Quo verò ad alteram inſpectionem in terminis juris 12
communis; Ego, & cæteri pro hac parte ſcribentes, dicebamus quòd clarè fundata eſſet intentio hæredis, ut quidquid ſcriptor teſtamenti ſibi adſcripſit, pro non ſcripto habendum ſit, ſive agatur de teſtamento ſolemni, ſive de nuncupativo, ad text. *in l.1. §. ad teſtamenta, & l. Divus, ff. ad l. Cornel. de falſ. l. penult. ff. de his quæ pro non ſcript. l.* 2. *& tot. titul. Cod. de his quæ ſibi adſcrib.* ubi communiter DD. de quibus Farinac. *de falſit. quæſt.* 150. *num.* 157. *&* 182. Becc. *conſ.*103. *num.*5. *&* 10. Magon. *dec. Florent.* 53. *num.* 1. *cum ſequent.* Molina *de delict. diſputat.* 700. Marta *de ſucceſſ. par.* 4. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *numer.*25. Rota *deciſ.*356. *numer.*15. *par.* 6. *recent.*

Non negabant Scribentes pro actore dictam regulam, prout neque eam negant deciſiones; Dicebant autem, (atque in deciſionibus admittitur) quòd adeſſet ea ſubſcriptio
ſpecialis, quæ deſideratur *in d. l. 1. §. ad teſtamenta, & in* 13
l. Divus §. planè, eò quòd non ageretur de ſimplici ſubſcriptione nominis, ſed nimis ampla cum his verbis præciſis, *Ego Ludovicus Cardinalis Ludoviſius anno* 1629. *die* 11. *Aprilis ætatis* 34. *mortem Dei gratia æquis oculis intuitus, de prædictis omnibus, & ſingulis, tota animi inductione, ultimò diſpoſui, & quam exactiſſimè obſervari volo, & præcipio; nam hujus ultimæ voluntatis Dux, & Magiſter grati animi virtus Deique, & Eccleſiæ gloria fuit.*

Ponderando præſertim illa verba generalia *omnia, & ſingula*, ſuper quorum operatione, ac virtute, cum axiomatibus generalibus in deciſionibus nimiùm inſiſti videtur.

Iſtud motivum de per ſe conſideratum, videbatur in

puncto juris minùs probabile; Siquidem diſputant DD. in ſpecie, an & quando ſubſcriptio dicatur ſpecialis, adeout 14 ad hunc effectum ſufficiat; Duaſque deſuper habemus opiniones, quarum una eſt Bart. *in d.l. 1. ad teſtamenta*, volentis ut tunc illa dicatur talis, quando teſtator ſaltim perſonam adſcribentis ſpecificat, puta *quidquid Titius ſibi adſcripſit, affirmo, & approbo*.

Altera eſt opinio *gloſ. ibid.* magis rigoroſa, quæ exigit quoque ſpecificationem rei, puta *decem quæ ſibi Titius adſcripſit, affirmo, & approbo*, iſtaque poſterior opinio majores habet ſequaces, ut præſertim advertunt Salic. *in l. 3. Cod. de his qui ſibi adſcrib.* & Molin. *de juſtit. & jur. d. tit. de delict. q. 700. n. 10.*

Verùm ubi etiam tenenda eſſet opinio Bart. adhuc ceſſabat applicatio, cùm neque perſonæ mentio habeatur; Generalitas verò ſuſcriptionis exemplificata per Cyn. qui in ſecunda deciſione coram Priolo, allegatur *in l. ſi teſtator, C.* 15 *de his qui ſibi adſcrib.* per illa verba *quæcumque ſunt in teſtamento meo, ego confirmo, & dari volo*, ab eodem Cyno dicitur generalis, ſolumque in ſenſu Alex. *conſ. 147. lib. 2. nu. 5.* pariter deducti in dicta deciſione, ſuffragari poteſt à pœnis, non autem à nullitate; Et nihilominus Alexander loquitur de ſubſcriptione apocæ inter vivos pro quadam majori efficacia obligationis, ideòque hæc authoritas non percutit terminos præciſos quæſtionis.

Requiſitum enim ſubſcriptionis ſpecialis, innitur ratio-16 ni certæ notitiæ in teſtatore, quod ſcriptor teſtamenti aliquid ſibi ipſi adſcripſerit, ideòque ubi agitur de ſubſcriptione generali adjecta pro univerſa diſpoſitione, tunc dicta ratio non intrat; Atque ex hujuſmodi forma ſubſcribendi, rectè quidem deſumi poteſt adminiculum cum aliis conjungendum; ut infra, nullatenus autem, ad hunc effectum dici valeat ſpecialis, juxta ea, quæ habentur infra in Romana, ſeu Firmana *diſc. 70.* ſuper puncto, an juramentum, 17 vel ſtipulatio Notarii in teſtamento, vel codicillis, reddat diſpoſitionem, vel confeſſionem irrevocabilem necne.

Deducebatur quoque fundamentum probitatis ſcriptoris, cujus fidem ipſe teſtator in munere adeò fiduciario diu-18 turno tempore expertus fuerat; Verùm & id de ſtricto jure irrelevans videbatur, quoniam probitas, ac bona fama ſcriptoris, excuſant quidem à pœnis à Liboniano inductis, non autem ſufficiunt ad commodum aſſequendum, ut expreſſè diſponit text. *in l. penult. Cod. de his qui ſibi adſcrib.* atque firmant communiter DD. relati per Farinac. *dicta qu. 150. num. 175. cum ſeq.* Ubi etenim in hujuſmodi ſuſpectis materiis lex ad ſe certam reddendam de veritate, aliquid 19 generaliter ſtatuit, tunc non attenduntur individua; Ut (ex. gr.) in teſtamentis, ob materiæ ſuſpicionem, præſcripſit numerum ſeptem teſtium, ſine quibus illud, utpotè informe, invalidum eſt, unde quamvis probitas ejus, cujus favore diſpoſitum ſit, ceſſare faciat illam rationem, quę movit legem ad ita ſtatuendum, non per hoc tamen in jure cautum eſt, ut teſtamentum, quod ita declaratur informe, debeat eſſe validum.

Magnum fundamentum per Scribentes in contrarium conſtituebatur in eo, quòd ſubſtantia, & validitas teſta-20 menti non pendeant ab ipſa ſcriptura, ſed à ſubſcriptione, & ſigillo teſtatoris, adinſtar eorum, quæ ex Odofr. & Cyn. *in rubr. & l. 1. Cod. de his quæ ſibi adſcrib.* firmant Scribentes, ubi validitas pendeat à ſtipulatione Notarii, ut præſertim Salic. *in d. l. 1. nu. fin.* Bertrand. *conſ. 64. lib. 1.* Becc. *conſ. 103. num. 3. in fin.* Boſſ. *in prax. crimin. tit. de falſ. num. 114. & tit. de his qui ſibi adſcribunt, nu. 5.* Farinac. *de falſit. qu. 150. num. 182. & dec. 215.* Marta *de ſucceſſ. tom. 2. part. 4. qu. 2. art. 6. num. 26.*

Sed pariter id continet fallaciam claràm in applicatione; Procedit enim in teſtamentis nuncupativis, vera nuncupatione, in quibus veritas legati, vel alterius diſpoſitionis, juſtificari poteſt per teſtes qui illud audierunt à teſtatore, ideoque rectè verificatur, ut ſubſtantia non pendeat à ſcriptura; Secus autem in hujuſmodi teſtamentis nuncupativis nuncupatione implicita, juxta formam, de qua ſupra *diſc. 1. & ſeqq.* quoniam licèt ad differentiam teſtamenti verè ſolemnis, atque ad evitandas rigoroſas ſolemnitates text. *in l. hac conſultiſſima* dicatur teſtamentum nuncupativum; Attamen de facto habet potiùs formam teſtamenti in ſcriptis, atque diſpoſitio occulta eſt teſtibus, totaque conſiſtit in ſcriptura.

Atque hinc de plano corruunt duæ aliæ conſiderationes in cauſæ deciſionibus contentæ; Primò ſcilicet, quòd Car-21 dinalis teſtator, teſtamentum tranſmiſerit cuſtodiendum P. Generali Societatis Jeſu, qui fideliter cuſtodivit, atque teſtatore mortuo exhibuit; Et ſecundò, quòd Duciſſa, teſtatoris, ac hæredis mater, deinde legatum in parte ſolverit, unde deducitur obſervantia; Probata ſiquidem fides dicti P. Generalis, rectè conſiderabilis erat in ordine ad integritatem teſtamenti, eo modo quo clauſum, ac ſigillatum tranſmiſſum fuerat, quòd ſcilicet in nihilo alteratum eſſet; Verùm id nihil commune habet cum puncto controverſiæ, dum teſtator abſens non communicaverat dicto P. Generali, quid in eo contineretur; Idemque circa ſolutionem factam per dictam Duciſſam; Eſſet etenim circumſtantia valdè conſiderabilis, quando teſtamentum ita conditum eſſet, quòd mater eſſet hujuſmodi voluntatis veriſimiliter conſcia, ſed cùm teſtamentum eſſet clauſum, atque exceptis teſtatore, & ſcriptore, omnibus ignotum, non videbatur quid exinde deduci poſſet.

Quamvis autem ſingula dicta fundamenta in puncto juris probabilitatem habere non viderentur; Attamen inſpecta tota facti maſſa, iſta claram veritatis imaginem præſe- 22 ferre videbatur, ideòque ab initio cauſa apud me difficultates habuit, eamque libenter concordaſſem, omnia ſimul ponderando, non autem diſtinctè, ac per partes, cum regula, *ut ſingula quæ non proſunt &c.* Primò ſcilicet ob qualitatem teſtatoris accurati, ac diligentiſſimi, quem nimiùm probabile eſt, ut nedum teſtamentum, poſtquam ſcriptum fuit, perlegerit, ſed quòd potiùs dictaverit, ut fraſis tenor oſtendere videbatur, quòdque ſcriptor poſuerit ſolum in nitidum minutam ab eo præparatam; Secundò ob dictum modum inſolitum ſubſcriptionis, cum verbis, & clauſulis adeò effrenatis; Tertiò ex probitate legatarii ob quam, ac diuturnam ſervitium, teſtator in re tanti momenti fiduciam in eo habuit; Quartò ob veriſimilitudinem legati in remunerationem adeo grati, ac diuturni ſervitii; Et quintò attento toto tenore teſtamenti, comprobante, quòd illud accuratè, ſummoque ſtudio ordinatum eſſet.

Ideoque intrare nullatenus videntur rationes, quibus Libonianum innixum eſt, procedentes, Vel ubi agitur de teſtatore infirmo, qui morbo preſſus, atque mortis cogita- 23 tione turbatus, alteri ejus voluntatem communicet, neglecta lectura eorum quæ ſcripta ſunt, juxta caſum de quo *ſub tit. de fideicommiſſ. diſc. 115.* Sive ubi agatur de teſtatore idiota, qui totum commiſerit Notario, vel alteri, qui (ita teſtatore non reflectente) ſibi ipſi adſcribere potuerit; Unde propterea in iſta præſertim cauſa expertus ſum id quod ſæpiùs dicere conſuevi, ut ſcilicet tota vis in judicando, & conſulendo, conſiſtat in applicatione congrua ad caſum, penſatis ejus particularibus circumſtantiis, non autem efformando judicium cum ſolis doctrinis, ac regulis genera- 24 libus, ut Collegæ, ac alii deſuper conſulti in iſta cauſa fecerunt; Ideoque ſæpiùs verificari videmus in cauſis, illam medicorum propoſitionem, *pulſus bonus, urina bona, & æger tendit ad mortem &c.* quoniam motiva ſunt bona, & legalia, & tamen cauſa diverſum habet finem.

In hoc autem propoſito Liboniani; In una Hortana pro Gaſpare Alberto diſputata coram A.C. ſubſtinui ut hoc edictum non procedat in venientibus ab inteſtato, circa eaque 25 etiam ſine teſtamento in eos obvenire debuiſſent, ubi abſcriptio notabiliter non alteret modum inteſtatæ ſucceſſionis ad text. *in d. l. 1. C. de his qui ſibi adſcrib.* ubi Petrus de Belapert. Cyn. Salicet. & alii Becc. *d. conſ. 103.* Molin. *d. diſp. 700. n. 11.* Farinac. *d. q. 150. n. 210.* quoniam lex principaliter reſpicit finem, ob quem dictum Libonianum introductum eſt, & an ejus ratio congruat necne.

Hinc proinde iſta pariter videtur de quæſtionibus potiùs facti, quàm juris; cùm totum conſiſtat in certitudine, vel incertitudine voluntatis teſtatoris; Libonianum etenim inducere ſolum videtur malam præſumptionem contra ſibi abſcribentem, ob quam, non data contraria probatione, id ſufficit ad invaliditatem diſpoſitionis; Non autem impedit quin contrariæ varietatis probatio etiam adminiculativa attendi debeat, ideòque punctus pro facti qualitate decidendus eſt; Ponderando etiam in idem ea, quæ habentur *in d. dec. 805.* Merlini ſuper ceſſante Liboniano in diſpoſitis ad pias cauſas, ob ceſſantem ejus rationem; Ac etiam conſiderabile videbatur dictum motivum indulti teſtandi abſque aliqua juris poſitivi ſubjectione ad effectum, ut ita veritas naturalis potiùs, quàm rigor juris civilis attendi deberet.

FLORENTINA.

PRO HÆREDIBUS ANTONII FILICAJÆ.

CUM HIEROSOLYMITANA RELIGIONE.

Diſcurſus pro veritate ſuper caſu, ſopito pro concordiam.

An indultum Pontificium clerico ſæculari conceſſum liberè diſponendi, etiam omiſſis ſolemnitatibus, de bonis, quamvis ex eccleſiaſticis beneficiis, vel commendis obventis, eaque tranſmittendi ad venientes ab inteſtato ſuffragetur, atq; hujuſmodi facultatem præbeat indultario, qui poſt illud obventum, profeſſionem emiſerit in aliqua Religione, ſpecialiter verò in militari S. Joannis Hieroſolymitani.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *An Religio Hieroſolymitana faciat ſpolium de patrimonialibus.*
4 *Magnus Magiſter habet poteſtatem concedendi indultum teſtandi de patrimonialibus, non autem de acquiſitis.*
4 *Milites Hieroſolymitani inteſtabiles.*
5 *Indultum teſtandi conceſſum clerico ſæculari, non ſuffragatur ſi fiat regularis.*
6 *Quid ſi fiat mentio ſpecialis Commendarum Regularium.*
7 *Indultum teſtandi conceſſum regularibus etiam Epiſcopis, habet diverſam formam ob diſpenſationem voti.*

DISC. IX.

1 CUM Antonius Filicaja, in ſtatu clerici ſæcularis, nonnulla poſſideret eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, vel fortè etiam regularia in commendam, aliaque majora ſperaret, ob ſanguinis conjunctionem cum Cardinalibus Barberinis Urban. Octavi tunc regnantis ex germano fratre nepotibus, atque ab eodem Urbano Indultum obtinuiſſet teſtandi, omiſſis juris poſitivi ſolemnitatibus, etiam de bonis quæſitis, vel quærendis ex beneficiis, & commendis, quamvis Hieroſolymitanæ Religionis; Poſtea verò ſuſcepiſſet habitum in dicta Hieroſolymitana Religione, in qua emiſſa profeſſione obiit, condito teſtamento in vim indulti prædicti; Hinc propterea, inter ejus hæredes, & prædictæ Religionis miniſtros orta eſt controverſia, ad forum tamen non deducta, ſuper dicti teſtamenti validitate, atque pro parte hęredum pro veritate deſuper conſultus

Reſpondi, quòd non levem ſentirem difficultatem con-2 tra requirentes, quibus proinde conſului ut amplecti deberent honeſtam concordiam, ut jam ſequutum fuit, potiſſimè quia major pars aſſis hæreditarii conſiſtebat in patrimonialibus, in quibus hæc Religio, ex quadam conſuetudine, non ſolet facere ſpolium, ſed patitur eorum tranſitum ad legitimos hæredes, vel eos, in quos milites diſponunt, ut referunt Berrett. *conſ. 96. nu. 2.* Natt. *conſ. 507. & 508.* quos refert, & ſequi videtur, (licèt non firmet) Rota in Hiſpalen. decimarum 27. Junii 1644. coram Corrado *dec. 302. par. 9. rec. n. 17.*

Prout M. Magiſter habet poteſtatem concedendi his militibus facultatem liberè diſponendi de patrimonialibus, 3 quod facere non poteſt de acquiſitis, ut plenè in Recanaten. bonorum 23. Junii 1642. Cerro *deciſ. 118. part. 9. rec.* cum aliis per Adden. *ad dec. 16. n. 10. & ſeq. part. 3. rec.* ideoque iſta Religio magnam differentiam conſtituit inter unam, ac alteram ſpeciem bonorum.

De reliquo autem; Dicebam quòd ſpectata rigoroſa juris 4 diſpoſitione, Religio haberet intentionem fundatam, quoniam milites Hieroſolymitani profeſſi, ſunt veri religioſi, proindeque inteſtabiles, Gregor. & Add. *dec. 87. & 109.* Buratt. & Add. *dec. 2.* Peruſina hæreditatis 5. Maji 1662. & 30. Aprilis 1663. coram Albergato, & eſt incontrovertibile, cùm in conſimilibus controverſiis ſola diſputatio eſſe conſueverit, an defunctus eſſet profeſſus, necne, ut liquet ex deductis in Fulginat. hæreditatis 14. Februarii 1650. cor. Veroſpio impreſſ. poſt Dianam *reſol. moral. p. 10. & 11. repet. dec. 15. p. 11. rec.*

Neque videbatur quòd indultum in propoſito ſuffragari poſſet, ſiquidem illud utpotè conceſſum clerico ſæculari,

nulla facta mentione mutationis ſtatus, ad duos effectus conceſſum fuit, rectèque operativum eſt; Primò ſcilicet ob facultatem, aliàs etiam clericis ſæcularibus non competentem, diſponendi de bonis eccleſiaſticis, quæ de jure ſpe- 5 ctare debent ad Eccleſiam, vel ejus loco ad Cameram Apoſtolicam ex Conſtitutionibus Julii III. Pii IV. Sixti V. Urban. VIII. & aliorum, de quibus *ſub tit. de benefic. diſc. 81. & ſeq.*

Et ſecundò, diſpenſare in ſolemnitatibus juris poſitivi, atq; ita tollere obſtaculum accidentale, quod inerat bonis, vel proveniebat à ſolemnitatibus, non autem habilitare perſonam in propoſito aliàs inhabilem, & quæ adinſtar ſervi habetur pro mortua, dum indulti tenor oſtendebat, id non fuiſſe expreſſum, neque cogitatum.

In contrarium Conſulentes, ſe fundabant in eo, quòd 6 in eodem indulto mentio fieret etiam de commendis regularibus, & in ſpecie illarum iſtius Religionis cum derogatione ejus privilegii.

Verùm id mihi videbatur debile fundamentum, quoniam cùm clerici ſæculares frequenter obtinere ſoleant, ex Apoſtolica diſpenſatione, commendas Abbatiarum, ac Monaſteriorum regularium, ac etiam Prioratuum, & Commendarum iſtius Religionis, ut frequens Curiæ praxis docet, iſtaque Religio Hieroſolymitana, inter alia ejus ampla privilegia, illud obtineat, ut non veniat ſub generalibus derogatoriis, vel aliis diſpoſitionibus, niſi ejus ſpecialis mentio fiat, ipſaque habeat quoddam jus ſuccedendi in aliquibus bonis, vel fructibus ejus commendarum; Hinc proinde hujuſmodi indultorum conſueta formula eſt, hujuſmodi derogatoriam, ac ſpecialem mentionem apponendi, ſed ſemper eodem themate retento, quòd ſcilicet eſſet clericus ſæcularis, ideoque inhabilitas teſtandi non ſit naturalis, ac omnimoda in perſona, ſed ſolùm accidentalis reſpectu bonorum, vel modi teſtandi, ac ſolemnitatum.

Clariùs, quoniam indulta concedi ſolita religioſis profeſſis habent particularem formulam omninò diverſam, 7 dum continent diſpenſationem voti paupertatis, & cum derogatione jurium Religionis, cui aliàs omnia bona deberentur jure ſucceſſionis, quamvis eſſent patrimonialia, vel quęſita, aliàs quàm ejuſdem Religionis intuitu; Idque adeò verum, quòd in indultis, ſeu facultatibus teſtandi, quæ conceduntur Epiſcopis, ſi ſunt Regulares, opus eſt, juxta unam opinionem, hujuſmodi qualitatis mentionem facere propter voti obſtantiam, ob quam difficiliùs conceduntur, ut plenè Pyrr. Corrad. *in praxi diſpenſat. lib. 10. cap. 4. num. 1. cum ſeqq.* Atque receptiſſima propoſitio eſt, ut ex Datariæ, ſeu Cancellariæ ſtylo deſumatur Papæ voluntas, & quid concedere, vel denegare voluerit, Mantic. *dec. 214.* Greg. & Adden. *dec. 150. & paſſim*; Et conſequenter iſtud indultum nullatenus trahendum videbatur ad iſtum caſum non expreſſum, neque cogitatum.

LUCANA

PRO MICHAELE, ET SEPTIMO DE ORSUCCIIS

CUM BALDASSARE pariter de ORSUCCIIS.

Reſponſum.

De Statuto Lucano diſponente ut codicilli fieri poſſint coram Notario, & duobus teſtibus, præterquam ſi in eis continerentur fideicommiſſa univerſalia totius hæreditatis; vel alicujus quotæ; An locum habeat in codicillis in quibus adimatur fideicommiſſum in priori teſtamento ordinatum.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De Statuto Lucenſi circa codicillos, abſque ſolemnitatibus, ejuſque intelligentia.*
3 *An ex minus ſolemni diſpoſitione oriatur obligatio naturalis apta ad retentionem.*
4 *De diſtinctione inter probationem ſolemnem requiſitam ubi agitur de nova diſpoſitione conceſſiva, vel ademptiva, & ubi agitur de declarativa.*
5 *An ſecunda diſpoſitio, per quam ordinatur fideicommiſſum ſimpliciter ordinatum, regulari debere juxta*

ordinem primogenituræ, importet novam diſpoſitionem, vel declarationem.
6 *Dare & adimere eodem jure regulantur, & ſicut dari non poteſt hæreditas codicillis, ita neque adimi.*
7 *Declaratur, dicta concluſio, ut non ſemper paria ſint dare, & adimere.*

DISC. X.

MARIUS BONVISIUS, in ejus teſtamento hæredem inſtituit Pompeum filium, eique, vel ejus de-
1 ſcendentiæ maſculinæ quandocumque deficienti ſubſtituit filios maſculos Nicolai Orſucci generi. In codicillis verò poſtmodum conditis, coram Notario, & duobus teſtibus, diſpoſuit dictam ſubſtitutionem effectum ſortiri debere in ſolo natu majore; Cùm autem facto caſu ſubſtitutionis, Balthaſſar natu major poſſeſſionem bonorum hæreditariorum adeptus eſſet, atque Statutum Lucenſe diſponat, ut codicilli valeant coram Notario, & duobus teſtibus, preterquam ubi continerent fideicommiſſum univerſale, vel in quota; Hinc orta eſt quæſtio inter ipſum, & dictos Michaelem, ac Septimium fratres natu minores, an dicta codicillaris diſpoſitio ſubſtineretur, ſtante ejus imperfectione ex defectu ſolemnitatum requiſitarum de jure communi, atque deſuper conſultus; Reſpondi, ut ſequitur.

Agit de hoc Statuto Menoch. *conſ.* 1137. *in fine*, ſed potius incidenter, ac præſuppoſitivè, dum illius caſus diſpu-
2 tatio in aliis punctis conſiſtebat.

Pro codicillorum autem validitate urgere videtur deciſio Rotæ Lucen. edita de anno 1606. per quam conſimilis codicillaris diſpoſitionis validitas firmatur, ex duplici fundamento; Primò ſcilicet, quòd ubi tractatur de transferendo ſucceſſionem in teſtamento præordinatam de una perſona ad aliam, inter eas in priori diſpoſitione vocatas, & ſic intra idem genus, tunc, contineri non dicitur novum fideicommiſſum, ſed potiùs fideicommiſſi jam conſtituti declaratio, quæ ſolemnitatibus non indiget; Et ſecundò quod ubi ille, ad cujus favorem in hujuſmodi minus ſolemnibus codicillis diſpoſitum eſt, reperitur in poſſeſſione, tunc poteſt excipiendo ſe tueri, dum ex minùs perfecta ultima voluntate, oritur obligatio naturalis, quæ poſſidenti, exceptionem, ſeu defenſionem præbet.

3 De ſecundo fundamento, (cum ſenſu etiam veritatis) nullam rationem habendam eſſe puto, quoniam quicquid ſit reſpectu legatorum, quæ etiam ab inteſtato deberi poſſunt, atque legatario, qui reperiatur rem poſſidere abſque vitio, hujuſmodi retentio competat in vim naturalis obligationis ex plenè deductis per Magdalen. *de num. teſtium, par.* 3. *cap.* 3. Cujus etiam contrarium in foro magis receptum eſſe praxis docet, adeout opinio concedentium hujuſmodi retentionem, potius operativa remanere videatur quoad forum internum; Attamen id ceſſat, ubi agitur de hæreditate, vel ſucceſſione univerſali ad text. *in l. ſi poſt diviſionem, Cod. de jur. & fact. ignor.* Alex. Jaſon. *& cæteri in l. nemo poteſt, ff. de legatis* 1. cum concord. per eundem Magdalen. *d. cap.* 3. *nu.* 3. *cum ſeqq.* plenè Boſſ. *to.* 2. *Moral.* qui plures hinc inde colligit *tit.* 14. §. 1. *n.* 1. *& ſeq.*

Quare unica difficultas reſidet in primo fundamento, circa quod videtur, ut vera ſit diſtinctio circa theoricam in ab-
4 ſtracto, quod ſcilicet ubi agitur de nova ordinatione importante formalem diſpoſitionem conceſſivam, vel ademptivam, requirantur eædem ſolemnitates, quæ in teſtamento, vel alia nova ultima voluntate requiruntur, ſecus autem ubi agitur de declaratione prioris diſpoſitionis ambiguæ, cùm iſta nullas exigat ſolemnitates, ſed contentetur probatione naturali etiam imperfecta per teſtes ſingulares, vel per adminicula, ex deductis poſt antiquiores per Mantic. *de conjectur. lib.* 12. *tit.* 16. *num.* 10. Gratian. *diſcept.* 650. *nu.* 13. *cum ſeqq.* Hodier. *contr.* 11. *num.* 83. *cum ſeqq.* Magdalen. *de nu. teſtium, part.* 1. *cap.* 30. *n.* 11. *cum ſeq.* Rota in Romana dotis 27. Maji 1657. Cerro Romana annuæ præſtationis 4. Julii 1663. Bevilacqua impreſſ. poſt Zuff. *de legitim. proceſſ. dec.* 102. & ſæpius, quoniam theorica eſt indubitata, ſolaque difficultas eſt in applicatione, an ſcilicet verſaremur in una, vel altera parte diſtinctionis.

5 Applicando igitur ad rem, quando hæc ſubſtitutio haberet tractum ſucceſſivum, utpotè continens perpetuum, ac ſucceſſivum fideicommiſſum in univerſa deſcendentia dict. Nicolai, quæ ejuſdem teſtatoris quoque dici poteſt, utpotè proveniens ab ejus filia, itaut prior diſpoſitio teſtamentaria concepta eſſet ad favorem univerſi generis, cum pluribus, & ſucceſſivis gradibus ſubſtitutionum; Tunc probabilius dicendum videretur ut verſaremur in caſu declarationis potiùs, quàm omninò novæ diſpoſitionis; Et quoniam favorabilius eſt ſucceſſionem reduci ad formam primogenituræ, ſeu majoratus, per quam familiarum ſplendor cùm bonorum unione melius conſervatur, cùm ob tantam diviſionem ad ad nihilum redigi ſoleant, atque non obtineatur finis ab ambitioſis teſtatoribus haberi ſolitus, ex iis quæ in propoſito erectionis primogenituræ habentur in Mantuana feudi *ſub tit. de feud. diſc.* 10. idcircò pro validitate actus probabilius reſpondendum eſt.

Sive ubi in priori diſpoſitione dictum eſſet ſimpliciter, quod bona relinquebantur in deſcendentia ſub fideicommiſſo, non facta iſtius ſpeciali expreſſione circa ordinem, quoniam cùm fideicommiſſi vocabulum verificetur etiam in primogenitura, quæ aliud non eſt niſi fideicommiſſum cum ordine delationis ad unam tantùm perſonam, ex deductis *ſub tit. de fideicommiſſ. diſc.* 7. Hinc proinde dicitur etiam declaratio, ut in ſpecie primogenituræ ordinatæ, quamvis promiſſum eſſet fieri donationem ſub fideicommiſſo, habetur in Romana primogenituræ de Cardellis *ſub eod. tit. de fideicomm. diſc.* 135. Utroque enim caſu, iis qui excluſi ſunt, ſupereſt ſpes ſuccedendi, ideoque non eſt omnimoda ademptio, ſed potius præpoſteratio, ut etiam advertitur *eod. tit. de fideicommiſſ. diſc.* 57.

Ubi verò ageretur de unica ſubſtitutione in primis vocatis terminanda, ad quam in teſtamento expreſsè omnes filii vocati eſſent, tunc reſtrictio ſucceſſionis ad ſolùm natu majorem, importaret formalem ademptionem per diſpoſi- 6
tionem omninò novam, & conſequenter intraret altera pars diſtinctionis; Ideoque cùm dare & adimere eodem jure regulentur, quia ſicuti non dari, ita neque adimi codicillis hæreditas poteſt, *l.* 2. *C. de codicill.* §. *codicillis, Inſtit. eodem*, hinc ſequitur, ut id quod diſponitur in caſu, quo codicilli contineant inductionem fideicommiſſi in tota, vel in quota, dicendum etiam veniat in caſu, quo iidem contineant ejuſdem fideicommiſſi ademptionem.

Verùm maturiùs reflectendo; Contrarium videtur probabilius, quoniam cùm habeatur regula generalis affirmativa, ut codicilli conditi coram Notario, & duobus teſtibus valeant, illaque unicam recipiat limitationem jam dictam, ubi agitur de affirmativa inductione fideicommiſſi, Idcircò talis limitatio, utpotè de ſui natura odioſa, non eſt extendenda de caſu ad caſum, dum habens pro ſe regulam dicitur habere intentionem fundatam, donec probetur limitatio in dubio non præſumenda, Mantic. *dec.* 251. *nu.* 4. Barboſ. *axiom.* 168. *& communiter.*

Potiſſimè in Statutis, in quibus non datur extenſio, etiam ſi concurreret identitas rationis ex pluries deductis *ſub tit. de ſucceſſ.* multò magis concurrente diverſitate, quæ in præ- 7
ſenti videtur notabilis; Licèt enim circa caſum hæreditatis, & ſic indirectæ ſucceſſionis, datio, ac ademptio parificentur, ex eo quòd directa diſpoſitio in codicillis eſt incongrua; Attamen in reliquis notabiliter differunt, inducere, ac adimere, vel reſtringere fideicommiſſum, cum primo caſu agatur de inducendo, ſeu ampliando ſervitutem regulariter odioſam, in altero autem de eadem ſervitute tollenda, vel reſtringenda, ſeu inducendo faciliùs libertatem, quæ in jure favorabilis reputatur; Ac etiam quia non omninò incompatibile eſt, ut etiam ex interpretata, vel conjecturata voluntate diſponentis, numerus pluralis reſolvatur in ſingularem, & è contra, ex iis, quæ frequenter habentur præſertim *d. diſc.* 57. *de fideic.* Si ergo id etiam ex conjecturis deſumi poteſt, hinc proinde rectè adaptabilis videtur terminus declarationis, quo teſtator codicillando in præſenti uſus eſt; Et conſequenter nimiùm dubitari poſſe videtur, quòd verſemur potiùs in caſu regulæ, quàm in altero limitationis Statutariæ; Et ita audivi fuiſſe judicatum, pro codicillorum ſcilicet validitate, ac ſubſiſtentia, eaque habita pro certa, diſputatio fuit ſuper qualitate majoratus, an eſſet regulandus ab ætate, ac per naturam, vel à prærogativa lineæ juxta quæſtiones diſputatas *ſub tit. de fideicom. diſc.* 1. *cum plur. ſeq.* ut patet ex ſcriptis hinc inde apud Manticam longè poſt has adnotationes impreſs. *conſult.* 92. *cum ſeq.*

SUMMARIUM.

1 *De Statuto Lucano in materia legitimæ.*
2 *Hæreditas quando dari, vel adimi valeat Codicillis.*

ADNOTAT. AD DISC. X.

DE ſtatuto Lucano in materia legitimæ habetur in ſua ſede *ſub tit. de Legit. diſc.* 10. *& ii. eod. tit. diſc.* 41.

De materia autem præſentis diſcurſus, quando hæreditas dari, vel adimi valeat codicillis, habetur infrà *diſc.* 20. & 21. Et de diſtinctione contenta *num.* 4. inter diſpoſitionem novam, vel declarativam ad effectum probationis habetur alibi *hoc eod. tit. diſc.* 46. *& ſeq.*

ROMANA TESTAMENTI

Diſcurſus in congreſſu pro veritate.

De teſtamento condito in Regno Sardiniæ cum tribus teſtibus tantùm, an ſubſtineatur.

Et incidenter de teſtamento calore iracundiæ, an, & quando valeat ad materiam text. in l. *ſi filiam* Cod. *de inoff. teſtam.*

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *In Urbe non attenditur forma cap.* cum eſſes, *quia ex Statuto ſervandum eſt Jus civile.*
3 *Poſthumus, ſecto matris ventre natus, habetur pro non nato.*
4 *De teſtamento calore iracundiæ invalido.*
5 *De legibus Cataloniæ ſervatis etiam in Regno Sardiniæ ſuper teſtamento coram duobus, vel tribus teſtibus.*
6 *Teſtamentum conditum juxta mores loci valet ubique etiam quoad bona extra territorium.*
7 *In diſpoſitionibus ad pias cauſas excepto defectu imperfectionis voluntatis, omnes aliæ juris poſitivi ſolemnitates, formulæ, vel ſubtilitates ceſſant.*
8 *Nullitas reſultans ex calore iracundiæ percutit etiam teſtamenta ad pias cauſas.*
9 *Quando dicatur teſtamentum conditum eſſe calore iracundiæ ad effectum invaliditatis.*
10 *Quomodo conſilia & deciſiones attendi debeant.*
11 *De caſu duplicatæ legitimæ remiſſivè.*

DISC. XI.

1 VIduata Principiſſa Coſtantia Pamphilia Innocentii Decimi ex fratre neptis, per obitum Principis Nicolai Ludoviſii in Regno Sardiniæ, ubi V. Regis & Capitanei Generalis munus exercebat, aliquam fortè habens indignationem, cum Principe Joanne Baptiſta unico filio maſculo, teſtamentum condidit coram Notario, & tribus teſtibus, in ſtatu ſalutis, in quo relicta dicto filio quadam tabula dicta, quatenus id ei liceret, ſin minus eo inſtituto in legitima, ſeu in eo, ad quod ex juris neceſſitate tantùm teneretur, poſthumum ex ejus ventre prægnante naſciturum, quatenus eſſet maſculus, ſi verò fœmina, eam, treſque alias, quas jam procreatas habebat, hæredes inſtituit, eas etiam maſculo naſcituro in pupillari ætate morienti ſubſtituendo; Dictiſque filiabus (nulla facta mentione filiorum ex eis procreandorum) ſubſtituit Principem Camillum Pamphilium germanum fratrem, & huic, Collegium Romanum Societatis Jeſu, ſeu Eccleſiam Sancti Ignatii in eodem Collegio per Cardinalem Ludoviſium dicti Principis viri germanum fratrem conſtructam; cum quibuſdam oneribus ad rem non facientibus; Quare ſequuta poſt aliquos menſes dictæ Principiſſæ morte ex abortu habito de maſculo, nomine omnium filiorum, habitus fuit plurium Advocatorum, ac ſapientum congreſſus, prævìis etiam aliquibus conſultationibus primariorum virorum dicti Regni Sardiniæ, ſuper dicti teſtamenti validitate, vel invaliditate, atque in hoc congreſſu plura invaliditatis capita propoſita, & diſcuſſa fuerunt.

2 Primò enim ab aliquibus profeſſoribus Urbis credebatur ut teſtamentum eſſet invalidum ob defectum numeri teſtium requiſiti per diſpoſitionem Juris Civilis, quòd ex Statuto Urbis diſponitur per ejus cives, & incolas ſervari debere, adeout receptum ſit, ut teſtandi forma inducta per text. *in cap. cum eſſes, de teſtamentis*, ſtante dicta ſtatutaria diſpoſitione, inter cives & incolas non ſufficiat, Fenzon. *ad Statut.* 42. *num.* 8. Gratian. *diſceptat.* 233. *numer.* 52. *deciſ.* 396. *part.* 4. *diverſ.* Rub. *de teſtam. cap.* 34. & pro abſoluto fuit habitum in Firmana codicillorum coram Ghiſlerio, *dec.* 312. *p.* 9. *recent.* & in eadem coram Otthobon. inter ſuas *dec.* 145. dum in eis totum fundamentum conſtituitur in eo, quòd teſtator eſſet forenſis; Et comprobat etiam Conſtitutio Alexand. VII. ſuper teſtamentis condendis tempore peſtis, quoniam fatuitas fuiſſet indulgere, ut ex dicta cauſa accidentali poſſent fieri teſtamenta, cum quinque teſtibus, ſi abſque tali impedimento ſufficerent quatuor ad formam *d. cap. cum eſſes.*

Alterum invaliditatis caput, tam à dictis Conſultoribus exteris, quàm ab aliquibus ex diſcurrentibus, reſultare credebatur ex caducatione ob deficientiam ſcripti hæredis, dum poſthumus, qui jam erat maſculus, natus dici non poterat, utpotè poſt mortem matris ſecto ventre detectus 3
ſemivivus, & quaſi in inſtanti mortuus, qui proinde natus dici non poterat, *l. quod certatum, Cod. de ſuis & legitimis, & l.* 129. *ff. de verb. ſignif.* Gulielm. de Benedictis *de teſtament. par.* 2. *verbo Soboles, quam geſtat in utero, n.* 16. *& cæteri communiter.*

Et quamvis dicto inſtituto ſubſtitutæ eſſent filiæ feminæ; Attamen dicti præſertim Conſulentes exteri nimiùm effuſo ſermone, atque agitantes penè omnes Repetentium ſcholaſticas quæſtiones, voluminoſum ferè tractatum confecerunt ſuper puncto, an mater ſubſtitutionem pupillarem facere potuiſſet, vel compendioſam, quæ vulgarem ad id ſufficientem contineret, & an clauſula codicillaris utpotè appoſita in teſtamento mulieris, quam non conſtabat de illius viribus, & efficacia certioratam eſſe, ſuam faceret operationem, necne.

Tertium invaliditatis caput proponebam ego in ſola ra- 4
tione diſcurſiva, quod reſultat ex text. *in l. ſi filiam, Cod. de inoff. teſtam. ſive ex gloſ. ibidem, verbo calorem, ubi DD.* de quibus plenè apud Menoch. *conſ.* 544. *&* 1139. *per tot. ac etiam conſ.* 956. *num.* 40. *cum ſeq.* Ruger. *conſil.* 17. *num.* 115. *cum ſeqq.* Altograd. *conſ.* 55. *numer.* 1. *& per tot. libr.* 1. quòd ſcilicet teſtamentum parentis, qui calore iracundiæ filium, vel conjunctum contra rationis & communis uſus ordinem ab hæreditate excludat, tanquam ex quodammodo deficiente voluntate, ſeu mentis defectu, viribus carere debeat.

Quamvis autem plura, nimiùm ingenioſè ſuper omnibus deducta fuerint, eaque dicerem quòd magna commendatione digna eſſent pro ſcholis, vel Academiis ad ingenii oſtentationem; Attamen videbatur, quòd de illis poſſet dubitari; Singula ſiquidem examinando; Quatenus pertinet ad primum invaliditatis caput deductum, ex deficiente numero ſeptem teſtium, priuſquam de infraſcriptis peculiaribus legibus notitiam haberem, ac etiam ante dictum congreſſum, abſolutas præſuppoſui leges municipales hanc teſtandi formam concedentes; Tum quia comperieram, quòd præcedens teſtamentum conditum à dicto Principe viro, cum aſſiſtentia Conſiliariorum, ac primariorum virorum illius Regni, in eadem forma conditum erat; Tum etiam quia in dictis elaboratiſſimis conſultationibus ejuſdem Regni ſapientum, quoad validitatem ratione ſolemnitatum, nulla fuit habita difficultas, & tamen inſpecta juris communis diſpoſitione, etiam ruſticis ac idiotis id cognitum eſt.

Occaſione autem hujus congreſſus, comperii quòd in Regno prædicto, ex Regiis Indultis, viveretur cum legi- 5
bus Principatus Cataloniæ, & Civitatis Barchinonæ, inter quas habetur, ut competat jus teſtandi etiam cum duobus, vel tribus teſtibus, & de qua ſpecie, (quod ſacramentale ibi dicitur) plenè cæteris allegatis agit Fontanell. *deciſ.* 576. *& ſeqq.*

Sufficit autem conficere teſtamentum juxta morem regionis, in qua illud ordinatur, etiam quoad bona extra territorium, idque non in ratione proteſtativa, ſed ob voluntatem teſtantis ex deductis per Merlin. *deciſ.* 447. *alias* 335. *part.* 5. *recent.* & apud Marin. *reſult.* 141. *n.* 16. *lib.* 1. Vameſ. *conſil.* 11. *per tot. par.* 1. *& conſ.* 387. *n.* 3. *lib.* 2. Giovagn. *conſil.* 47. *nu.* 2. *lib.* 1. apud quos cæteri.

Ultrà quòd, inſpecto etiam jure communi, adhuc eſſet debile fundamentum, cùm ageretur de teſtamento inter liberos, ad text. *in l. hac conſultiſſimas, §. ex imperfecto, Cod.* 6
de teſtament. Ac etiam ſtante ſubſtitutione piæ cauſæ, pro qua omnes ſolemnitates juris civilis remiſſæ ſunt; Effectus enim hujuſmodi inſpectionis eò principaliter tendebat, ut ultima ſubſtitutio Eccleſiæ, ſeu Collegii, evitari poſſet, cùm de reliquo, inter fratrem, ac Sorores, facilis fuiſſet concordiæ modus; Hic autem finis non habeatur, ſtante dicto privilegio piæ cauſæ, unde propterea inanes dicebam omnes quæſtiones deſuper actas, etiam ſola juris communis diſpoſitione attenta.

Eademque ratione prorſus inutiles credidi labores aſſum-
ptos ſuper diſputationibus habitis per DD. an ſub pupillari 7
ordinata per matrem, adeſſe dicatur vulgaris apta ad ſubſtinendum teſtamentum per primi hæredis prædeceſſum, ſeu non exiſtentiam; Cùm enim hujuſmodi nullitatis indagatio percuteret dictum effectum excludendi piam cauſam ſubſtitutam, iſte effectus non habebatur, ex jam dicta ra-